gravem ſuſtinuit ſuæ temeritatis pœnam, ut tradit *Tilmannus Bredembachius*, ex tabula ænea quæ pendet in Eccleſia pagi Seved, prope Oenipontem. Tamen Eccleſia Græca & Æthiopica retinet priſcum morem frangendi panem Euchariſticum, & ita diſpenſandi. Porrò in primitiva Eccleſia, & perſecutione ſæviente Gentilium Imperatorum conveniebant plerumque ſub noctem ad celebranda divina myſteria, idque vel in Cryptas ſubterraneas, aut oratoria particularium, quod feciſſe Paulum conſtat ex *cap.* 20. *Act. verſ.* 7. Quamvis per noctem intelligi velint eo loco, illam quæ diem Dominicum precedebat, & unde dies ipſe computari religioſo more incipit. Et ut demus celebrata tunc divina myſteria, nihilominus non niſi à jejunis, & poſt mediam noctem percepta: ſaltem paulò pòſt prima Eccleſiæ tempora.

Quin etiam Laicis permiſſum Euchariſtiam domum deferre, ut ex Tertulliano, Cypriano, & Auguſtino, ac aliis pluribus colligitur. Et Anachoretas ſolitos ad eremum eam aſportare, neque enim illis licebat Eccleſias frequentare; ſcribit *Baſil. ep. ad Cæſar. ſoror.* Igitur tam hi, quàm illi opportuno tempore ſumebant, & debitè præparati, præſertim cum ob perſecutiones non liceret coire fideles ſæpiùs. Quando tamen opportunitas & tyrannorum indignatio permittebat, frequentabant non minùs ſacram communionem, quam orationem, & concionem, ut colligere eſt, ex orationibus quæ communionem ſequuntur in Miſſa, numero plurali recitari ſolitis. Dabatur inſuper Neophytis immediatè poſt Baptiſmum Euchariſtia, & pueris, meminitque illius Ambroſius, & Cyrillus Jeroſolymiticum, Hieronymo, & Auguſtino. Conjugati tamen abſtinebant ab illius perceptione, quo die corpora conjungebant, quod ſuadet Paulus 1. *Cor.* 7. quamvis præceptum nullum exiſtet, tamen ob reverentiam Sanctiſſimi illius myſterii omninò decet ita fieri. Denique ſumpta Euchariſtia aliquid comedebant, ne irreverenter præter mentem cum ſaliva aliquid de Sacramento expueretur, atque id ſuaſit Chryſoſtomus apud *Sozomenum l.* 8. *cap.* 17. Apud Æthiopes etiam hodie Decanus dat à commune lac & mel, & dicit: Lac & mel immaculatum in generationes, Amen.

Fuit autem tempore Apoſtolorum & in quibuſdam Eccleſiis diù poſt, conſuetudo ante cœnam Euchariſticam, inſtituendi cœnam communem omnibus: tam divitibus, quàm pauperibus, idque in ſymbolum mutuæ charitatis, & ut Chriſtum imitarentur, qui communem cœnam præmiſerat, & abuſum illius cœna taxat Apoſtolus 1. *Cor.* 11. Quamvis alii exiſtiment eum loqui de cœna poſt communionem Euchariſtiæ, quam Agape, id eſt, charitatem vocabant, de qua videre eſt nonnulla in *loco proprio de Agape*.

* COMMUNIO SPIRITUALIS
Sive
Efficax deſiderium percipiendi S. Euchariſtiam

EXEMPLA HISTORICA.

Retulit nobis Dominus Bernardus de Lippe Abbas Livoniæ, nunc Epiſcopus ibidem; rem ſatis glorioſam. Cùm Quidam, ſi benè memini, converſus qui nuper fidem ſuſceperat, monachos communicare vidiſſet, & ſibi hoc minimè licere cognoviſſet, ſtans contra altare communicandi deſiderio ſuſpiravit: Et ecce pius Dominus ſine ſacerdotis miniſterio, de altari per ſacramentum deſcendere dignatus eſt in os ejus, qui mox hoſtiam aperto ore oſtendens, & cauſam tantæ gratiæ manifeſtans, cunctos, qui aderant, in ſtuporem convertit. Eandem enim hoſtiam defuiſſe repererunt in altari. *Cæſarius l.* 9. *mirac. p.* 37.

Cum aliquando Catharina Senenſis iliaca infirmitate correpta eſſet, ſperaretque nihilominus templum adire, ſummo manè indicat Raymundo confeſſario ſuo, ut ſacrum aliquandiu differret, eo quòd cuperet adeſſe, & ſacra ſynaxi refici. Verùm quia nimium tardaret, miſit ad eum denuò, ut non diutiùs expectaret. Itaque rem ille divinam aggreditur: & dum progreditur, Catharina doloribus alleviata accedit, inſcio tamen ſacerdote, & in loco remotiore ab altari in quo fiebat ſacrum, ſe collocat. Poſt conſecrationem verò, cum frangeretur hoſtia, una particula inſtar unius fabæ ab ejus conſpectu, Deo ita diſpenſante, ſubtracta eſt, duabus majoribus partibus hoſtiæ in manu remanentibus. Finita fractione, circumſpicit quærens particulam illam, ſed nec in calice, nec alibi reperire potuit. Ne verò quærendo adſtantes tædio afficeret, proſequitur, ac ſpecies ſacramenti ſumitur. Completo ſacro, mandat ſacerdos miniſtro: ut neminem de altari accedere ſineret, donec particulam illam paulo accuratiùs quæſiviſſet. Cùm ergo veſtibus ſacris exutus fuiſſet, advenit Carthuſianus, qui excupiebat eum cum Catharina conventum. Adeunt illam uterque ſimul, & dum Carthuſianus cum illa de negotio tractat, Raymundus ibi præſens ſolitò triſtiorem ſe oſtendit. Catharinæ triſtitiæ cauſam interroganti, liberè ille expoſuit, amiſſionem videlicet particulæ hoſtiæ ſacræ. Et illa? Quæſiviſti, inquit, diligenter? Quæſivi, Reſpondit ille. Tum illa ſubridens ait: Non erat neceſſe te propterea triſtari. Equidem arbitror; inquit ille, te mihi illam abſtuliſſe. Et illa? Non mihi, inquit, vitio vertas, quia non ego, ſed alius abſtulit. Hoc tamen ſcias velim, quod nunquam, invenies. Tum faſſa eſt ſibi divinitus delatam fuiſſe: Cùm enim ſociæ meæ, inquit, nollent, ut communicarem, ne ipſis moleſtiam adferrem, acquievi: recurri interim ad benigniſſimum ſponſum meum Jeſum Chriſtum, qui ſublatam particulam ad me detulit; ideoque noli contriſtari, ſed potius gaude in ipſo cum gratiarum actione. *D. Anton.* 3. *par. Chron. tit.* 23. *c.* 14. *§.* 8.

Laurentius Juſtinianus Venetiarum Patriarcha, vixit Eugenio IV. ſedente. Referam autem quod illi contigit; ut pio ſanctæ Virginis de communione recipienda deſiderio ſatisfaceret. Verba auctoris hæc ſunt: Sacra, inquit, Virgo quædam erat magnæ ſanctitatis: hæc per multos annos abſtinentia, vigiliis, orationibus ſteterat ante Dominum: Accidit autem, ut ſolemnitate Corporis Chriſti, neque ſorores aliæ, neque ipſa communicare divinis myſteriis poſſent; & cùm ægrè ferrent, & illa in primis ſanctiſſima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia propè eſſet monaſterium, ut ſi gratiam communicandi eo die habere non poſſent, ipſe ſaltem dignaretur, dum celebraret, pro ancillis ſuis orare; promittit Laurentius. Quum autem celebraret ad populum, poſt elevatum ſacramentum, factus eſt extra ſeipſum, detulitque eum ſpiritus ad illam mulierem in cella clauſam, & contemplationi vacantem, quæ fortè tunc miro deſiderio communicandi teneretur, & ſacra illi myſteria communicavit, ſive in corpore, ſive extra corpus, Deus ſcit, ab oculis quidem totius populi non diſceſſit, donec ad ſe ipſum reverſus ab illo pietatis officio, reliquum Miſſæ peregit. *Th. Bozius lib.* 15. *de Sig. Eccl. cap.* 4. *ex Bern. Juſt. in vita ejus c.* 9.

Bartholomæus Cajetanus civis, cùm ad conſtructionem cujuſdam Eccleſiæ Beati Franciſci non modicum deſudaret ruente trabe quadam infirmiter poſita, ejuſque opprimente cervicem fuit graviter conquaſſatus. Ipſæ verò mortem ſibi ſentiens imminentem, uti erat vir fidelis & pius, à quodam fratre viaticum poſtulavit. Quod frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori ſubitò credebatur, Auguſtini verba protulit, dicens ei: Crede & manducaſti. Sequenti verò nocte B. Franciſcum cum undecim fratribus illi apparuit, & inter ubera portans agriculam ad lectum ejus acceſſit, vocavitque illum ex nomine, dicens: Bartholomæe, noli timere, quia non prævalebit adverſum te inimicus, qui te in meo ſervitio voluit impedire. Hic eſt agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum deſiderium ſuſcepiſti; Cujus etiam virtute conſequeris utriuſque hominis ſoſpitatem. Et ſic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valdè manè conſurgens & iis qui eum ſeminecem reliquerant, incolumis & lætus apparens, admirationem intulit & ſtuporem. Sed & ipſorum mentes ad beati Patris reverentiam & amorem; tam exemplo ſui, quàm ſancti miraculo excitavit. *Div. Bonavent. in vita S. Franc. cap.* 3. *de miracul.*

Cum inſtaret tempus nobiliſſimi convivii, quo S. Mechildis dilectum animæ ſuæ Jeſum percepiſſet in ſacratiſſimi corporis & ſanguinis ſui communione audivit eum ſibi dicentem: Tu in me, & ego in te; & in æternum non derelinquam te. Eo tempore, quo canonici, vicem Epiſcopi gerentes, congregationem pro quadam pecuniæ ſumma, graviter affligendo à divinis ſuſpendiſſent, in die Aſſumptionis glorioſæ Virginis, cum hæc Dei famula nimio affligeretur dolore propter carentiam Dominici corporis, viſum eſt illi Dominum abſtergere lacrymas ab oculis ejus, dicens ei: Hodie mirabilia videbis. Cùm autem inſtaret hora ſacratiſſima, qua elevanda erat hoſtia, viſus eſt elevare hoſtiam, quaſi in aurea pyxide clauſam, & ſindone velatam. Per quod ſignificabatur, hoc ſacramentum omni humano, ſive angelico intellectui eſſe abſconditum. *Ex lib.* 1. *revel. c.* 4. *Jo. Garet. Cent.* 13.

Hugoni de S. Victore penè animam agenti, Euchariſtiam quam tamen anxiè deſiderabat, monachi ipſius adferre detrectabant, quod propter continuum vomitum timerent, ne irreverentia Sacramento inferretur. Igitur Hoſtiam non conſecratam ritu conſueto deferunt. Quam cum eſſet invitus, Miſereatur, inquit, veſtri Deus, cur mihi illudere voluiſti? Non

eſt ille Dominus meus. Rubore ſuffuſi, conſecratam adfuerunt, eaque viſa & adorata, expiravit. *Hugo Ranulphus lib.* 7. *cap.* 19. *in Poycron. Beyerlinch. in Apoph. Chriſtianis.*

Qui ex Germania in Italiam per ſalebroſas montium cautes, per aſpera ſaxa, per altas ac præcipites valles, atque per amœniſſimas veniponticas ac Tyrolenſium vias contendunt, præterquam quod arces, villas eleganteſque urbes conſpiciant, in præaltis etiam ſcopulis rupicaprarum greges, earumque miram ac jucundam venationem frequenter vident, quæ per rupes & ſaxa, inſtar avium volitantium ſaliunt, & in tantam altitudinem ſcandunt, ut viſum fallant & exigui videantur eſſe cuniculi. Hujus venationis occaſione monſtratur locus in ſublimis rupis pariete, in quadrum exciſus, & in eo imago crucifixi Salvatoris noſtri altitudinis quadraginta pedum, quæ ab imo cernentibus, vix bipedalis apparet, in memoriam rariſſimi caſus ibidem poſita. Qui quidem caſus ita narratur. Quo pacto Maximilianus Cæſar Friderici A. filius nimio prorſus ardore, juvenilique audacia feras iſtas inſectando (ut cacoethes illa venandi in adoleſcentibus principibus plerumque vehementer flagrare ſolet) eo loci evaſiſſet, unde nec referre pedem, nec ulterius progredi poſſet, niſi in præcipitium. Stabat attonitus, in abrupto loco infelix ille Princeps, temeritatem ſuam culpans ipſe, famis diræ ac longæ tabe, vel morte violenta vitam ibidem finiturus. Stupebat animus, horror & tremor artus occupaverat, & obſervabatur ubique triſtiſſima mortis imago. Si altum reſpicit, nivoſa cacumina, & ſcopulorum ingentes minæ capiti imminent, & ut Silii Poetæ verbis dicam:

Scaligat in altis
Obtutus ſaxis, abeuntque in nubila montes.
Sub pedibus occurrunt, tartarus veluti abyſſus,
Et regni pallentis hiatus
Ad manes imos atque atræ ſtagna paludis.

A tergo & lateribus Marpeſiæ cautes, non ferro, non flammis, non aceto punico domandæ viarum acceſſus claudebant nec funes alia unde inſtrumenta, quibus extraheretur è periculo ad ipſum aliunde portendi poterant, nec ſervitor quæpiam lapicidarum labore menſtrui parari. Stabant gregatim hinc, inde comites ac miniſtri, conſilii prorſus inopes, Dominumque ſuum miſerum à longè non ſine lacrymis proſpectant, quem juvare non poterant. Ipſe autem cum jam noctes atque dies integros duos in tam afflicto ſtatu continuo permaneret, nec ulla ſpes reſidua videretur eſſe; mortalis hujus vitæ cupidinem pius princeps abjicere, & qua ratione tutius beatioris vitæ cœleſtem in locum tranſire poſſet, cogitare cœpit. Appellat magna voce ſuos jubetque ut quamprimum Sacerdos ſacroſanctam Dominici corporis Euchariſtiam adferrent; & è viciniore quo poſſent loco ſibi monſtrarent: ut quando corpus mortali cibo reficere non daretur, ſaltem oculos à longè mentemque immortali viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret, Deumque Servatorem ſuum præſentem adoratione poſtrema reconciliare ſibi poſſet. Satisfactum, tam pio principis deſiderio, quàm diligentiſſimè. Sed luctus interea magnus per univerſam provinciam ſpargitur, fama tam acerbi caſus devulgata. Deplorabant parentes, dilecti ac unici filii ſortem infelicem, & infauſtam orbitatem deteſtabantur. Curia Senatus, ac ordines univerſi, creduli fato ſpei optimæ principem adoleſcentem, ſibi ſublatum mœrebant; populus omnis publica vota pro principis ſui ſalute ſuſcipiebat, in urbibus, oppidiſque ſingulis templa atque ædes ſacras magna utriuſque ſexus frequentia ſupplex circuibat, iram divini numinis deprecando, cœleſtium iram mortalia vota, piaſque preces, veluti miraculo quodam tum innotuit. Cum enim ope jam deſtitutus humana, Maximilianus in ſcopulo cura fragilis vitæ prorſus abjecta, nil aliud quàm immortalitatis, Deique Servatoris ſui contemplatione ſemper occuparet, audit non procul à ſe ſtrepitum, circumſpicienſque videt arreptare per rupis coſtas juvenem quendam ignotum habitu ruſticum, dimovere ingentia ſaxa, & callem parere. Qui cum ad ipſum acceſſiſſet porrecta dextera, macte inquit animo, virtuteque tua Princeps, vivit & adeſt, qui te ſervare poteſt: depone metum inanem, & me ſequere, ac tutum te in tutiora loca traducam. Uti ſol per denſas nubes clarior emergit ita mox anxii pectoris angore deterſo, ſerenior redit animus confidenterque ducem ſequitur. Et paulò pòſt in patentiori via poſitus, ſervus ex orci faucibus ereptum videt, liberatoriſque ſui induſtriam non ſatis admirari poteſt. Ad deſcendentem magnus deinde fit converſus Comitum, miniſtrorumque nobilium, ubi inter congratulantium turbas ducem ſuum perdidit. Pallidus & inedia languidus exigitur equo, domumque cum ſumma lætitia à ſuis deducitur, luctu publico confeſtim in gaudium converſo, poſtero die cum læti patris edicto promulgato, dux ille ubique terrarum quæreretur, quo præmio merito poſſet honorari, nec diu quæſitus inveniretur, cognitum pariter & vulgo creditum eſt, Angelum cuſtodem, bonumve gentium fuiſſe à Deo miſſum, ut adoleſcentem principem, ad maxima Reipublicæ Chriſtianæ commoda, & ad Auſtriacæ domus incrementum grande, ab immatura morte ſervaret. Quam opinionem poſtea res ab ipſo præclarè geſtæ confirmarunt. Ad rei memoriam pius princeps ſemitam lapicidarum labore muniri, in eodem periculi ſui loco, crucifixi Servatoris noſtri imaginem conſpicuam, è via poni curavit: ut peregrinantes divini auxilii gratiam, ubique piis eſſe paratam in periculis, inde cognoſcerent. Hanc Maximiliani Cæſaris fortunam, Germanus Poeta quidem non indoctè ſic attigit, in hodo epotico ſive Itinerario ſuo:

Poſtera rore levi virides Tithonia campos
Hic urbi ſectatus ter maximus Aemilianus,
Ni Deus ad majora virium ſervaſſet, opemque
Sparſerat, ad ſcopulum curſu pervenimus altum
Alta in rupe capras finiſſet turpiter ævum
Auxilio agricolæ pene ipſa in morte tuliſſet.

Meminit item Georgius Sabinus Itineris Italici hodo epotico his verſibus:

Iamque tenebamus qua ſpumifer æſtuat œnus
Ardua carpentes ſub juga montis iter.
Cujus in abrupto per noctes vertice Cæſar,
Dives tuus quondam Carole ſedit avus.
Sylveſtres quando capreas, damaſque vicornes
Auſus in aerea figere rupe fuit.
Culmen & aſcendit juvenis temerarius, unde
Cum vellet, potuit non revocare gradum.

EUCHARISTIA A MORIENTIBUS DEVOTE SUMENDA.

Exempla Hiſtorica.

MARIA Magdalena vitam agens in deſerto, cœleſtium ſpirituum ſocietate fruebatur: & tamen cum ſibi vitæ finem imminere cognoviſſet Maximinum Epiſcopum juſſit accerſiri, & percepta ab eo communione, ad cœlum migravit. *In vita ejus, & M. Marulus.*

Cum ſancta Maria Ægyptia ex hac vita eſſet migratura, & corpus Chriſti Domini ſumptura, poſtulavit dici ſymbolum Apoſtolicum, & Dominicam inchoari orationem. Expleto itaque Pater noſter qui es in cœlis, ſicut mos eſt, & vivifica myſteriorum ſuſcipiens dona, in cœlum extenſis manibus ingemiſcens cum lacrymis, ita clamavit: Nunc dimittis Domine ancillam tuam ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. *Laur. Surius* 9. *April. ex Paulo Diacono.*

Ex litteris *Dionyſ. ad Fabian. Epiſc. Antioch. Euſeb. Cæſar.* præter alias res geſtas, memorabile de Serapione exemplum habet, quod hic inſerendum putavi, in hæc verba: Erat quidem Serapio apud nos fidelis ſenex, qui licèt magnam vitæ partem integrè & incorruptè tranſegiſſet, tempore tamen perſecutionis præ imbecillitate animi lapſus eſt. Hic ſæpenumero in Eccleſiam denuo recipi ſupplex poſtulabat; ſed nemo, quia idolis ſacrificaſſet, ejus poſtulationi aliquando auſcultavit. Quin in gravem morbum delabens, triduo deinceps mutus, & abſque ſenſu vixit, quarto autem die paulùm relevatus nepotem ad ſe accerſit ſicque alloquitur: Quouſque filii, me, detinetis? Properate, obſecro, & me ocyus, dimittite; aliquem ex presbyteris advocate ad me. Quæ cùm dixiſſet, iterùm fuit mutus. Puer currit ad presbyterum: noxium erat. Ille fortè morbo vexatus accedere ad eum non poterat, ſed tamen quoniam à me quidem mandatum dabatur, ut, qui jam eſſent à vita migraturi, ſanctorum myſteriorum; dummodò peterent, & vel maximè ſi antea, dum integra valetudine erant, ſupplices petiviſſent, participes fierent, ſicque cum pace dimiſſi, & bona ſpe confirmati, ex hac luce decederent; puero exiguam quandam Euchariſtiæ partem dedit, præcipiens, ut eam madefactam in os ſenis infunderet. Quam puer ſecum afferens rediit. Cùm jam appropinquanti, priuſquam cum eo quod geſtebat, intraret ædes, Serapio denuo voce recuperata, dixit: Veniſti, fili? tametſi presbyter non poteſt venire, tu tamen præſta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportarat, madefactam in os ſenis infudit. Atque ille ſimu-

A ſimulatque eam pedetentim per fauces demiſerat; illico extremum ſpiritum edidit. An non igitur ſatis conſtat, eum fuiſſe reſervatum, & uſque eo in vita manſiſſe, quod eſſet penitus culpæ vinculis ſolutus? Et ita labe, qua erat idolis immolando aſperſus, omnino delata, poſſet pro multis bonis, quæ geſſiſſet in vita, in numerum confeſſorum referri; hæc Dionyſius apud Euſebium. *Euſeb.Cæſar.lib.6.hiſtor. cap.36.*

Anno Chriſti Domini trecenteſimo nonageſimo ſeptimo eo tempore, quo à nobis migravit D. Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus ad Dominum, ab hora circiter undecima diei uſque ad illam horam, qua emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum Crucis oravit. Nos autem labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem ſacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cum in ſuperiora domus ſe ad quieſcendum compoſuiſſet, tertiò, vocem vocantis ſe audivit, dicentiſque ſibi: Surge, feſtina, quia modò eſt receſſurus. Qui deſcendens obtulit ſancto Domini corpus: quo accepto ubi glutivit, emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens, ut in virtute eſcæ anima refectior, Angelorum nunc conſortio, quorum vitam vixit in terris, & Eliæ ſocietate lætetur: quia ut Elias nunquam Regibus, vel ullis poteſtatibus, ita nec iſte pro Dei timore loqui veritus eſt. Ut autem ſciretur in cœlis vivere, cùm corpus illius, peractis ſacramentis divinis, de Eccleſia, ad quam fuerat deportatum, levaretur deportandum ad Baſilicam Ambroſianam, in qua poſitum eſt, ita dæmonum turba clamabat, ſe ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non poſſet. *Baron.tom.5.Annal.ad ann.397.ex S.Paulino.*

Joannes Chryſoſtomus in exilium miſſus, cùm ad varia loca duceretur, ut tranſitione frequenti labefactatus ille vitam miſerè finiret, tandem Pityuntem ex mandato ductus eſt. Oppidum id eſt gravis ſolitudinis ad finem maris Pontici ſitum, ſæviſſimis barbaris conterminum. Eò cùm duceretur, & jam ad Deum migraturus eſſet, noctu ei oranti, qui viæ ejus duces fuerant, & Petrus & Joannes Apoſtoli aſſiſtentes per quàm amicè cum eo ſunt collocuti: eique cùm adverſus dæmones victoriam, tum poſtremò migrationem ad Deum, & quæ eum exceptura eſſent bonorum perceptionem cum lætitia annunciaverunt. Dein cœleſti & ineffabili eum eſca paverunt: ex quo poſtea nihil cibi ſumpſit. Dicta hæc ab eis ſunt, quibus ille ea ſecùs verſantibus concredidit. Hinc etiam ille ad majora progreſſus eſt certamina. Illi porrò, quibus magnus vir ducendus commiſſus fuerat, magnis itineribus proficiſcebantur, aliquando immenſis pluviis exundantibus, aliquando ſolis radiis maximè urentibus. Merces enim illorum crudelitati exercendæ, majorum dignitatum honores, propoſita fuerat. Sed enim quo pluribus objectus eſt ærumnis, eo caſibus omnibus, propter ſanctiorem philoſophiam, ſuperior fuit, ſplendiduſque refulſit: quemadmodum in igne flamma, ſi materiam copioſiorem ſibi injectam habeat. Cæterùm Pityuntem videre non potuit, ſicut Epiphanii vaticinium prædixerat. Ad Comnenos autem Armeniæ quum veniſſet, ad templum Baſiliſci martyris ductus eſt, qui Epiſcopus fuiſſe, & ſub Maximino Nicomediæ martyri certamen obiiſſe dicitur. Ibi in ſomnis ei apparens martyr; Bono, inquit, animo eſto, Joannes frater, utrumque craſtina dies conjunget. Ille etiam cuſtodi templi, ut locum Joanni pararet, præcepit, Obitus ejus in eam diem incidit, qua vivificæ Crucis exaltationem celebramus, menſis Septembris decimam quartam. Sic enim conveniebat, eum qui vitam omnem ſub Cruce tranſegerat, & gloriam non in alia re, quàm in Cruce Chriſti collocaverat, eam feſto ipſius die deponere. *Metaphraſt. apud Surium 27. Januar. tom.1. an.407.*

D. Hieronymus Eccleſiæ Doctor diem agens extremum, ſanctum Chriſti corpus dari petiit. Ille verò ſumptus, de lectulo humi ſe deponi fecit, ſaccoque operiri. Tunc genibus provolutus lacrymas fudit; pectus pugno percuſſit, & ſic ſanctam oblationem hauſit. *M.Marulus lib.4.c.12.*

Eo tempore, quo Provincia Auſtralium Saxonum nomen Chriſti ſuſceperat, multas Britanniæ Provincias mortalitas ſæve corripiebat. Quæ cùm monaſterium, cui tunc regendo reverendiſſimus ac religioſiſſimus Chriſti ſacerdos vocabulo Eappa præfuit, nutu divinæ diſpenſationis attingeret; multique, ſive de his, qui cum Antiſtite illo venerant, ſive de illis qui de eadem Provincia Saxonum nuper ad finem fuerant vocati, paſſim de hac vita raperentur, viſum eſt fratribus triduanum jejunium agere, & divinam ſuppliciter obſecrare clementiam, ut miſericordiam ſibi dignaretur impendere, ſive periclitantes hoc morbo à præſenti morte liberaret, ſeu raptos è mundo à perpetua animæ damnatione ſervaret. Erat tunc temporis in eodem monaſterio puerulus quidam de natione Saxonum nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate non pauco tempore recubans in lectulo jacebat. Cùm ergo ſecunda memorati jejunii ac ſupplicationum dies ageretur, contigit fortè ipſum puerum hora fermè ſecunda diei in loco, quo æger jacebat: ſolum inveniri, cui divina diſpenſatione, ſubitò beatiſſimi Apoſtolorum Principes dignati ſunt apparere. Erat enim puer multùm ſimplicis ac manſueti animi, ſinceraque devotione ſacramenta fidei, quæ ſuſceperat, ſervans. Salutantes ergò illum verbis piiſſimis Apoſtoli, dicebant: Noli timere, fili, mortem, pro qua ſolicitus es: nos enim te hodierna die ad cœleſtia regna ſumus perducturi. Sed primum expectare habes, donec Miſſæ celebrentur, ac viatico Dominici corporis & ſanguinis accepto, ſic infirmitate ſimul & morte abſolutus, ad æterna in cœlis gaudia ſubleveris. Clama ergo ad te presbyterum Eappam, & dicito illi, quia Dominus exaudivit preces veſtras, & devotionem, ac jejunia propitius aſpexit: neque aliquis de hoc monaſterio, ſive de adjacentibus ei poſſeſſiunculis, hac clade ultra moriturus eſt. Sed omnes, qui alicubi de veſtris hac ægritudine laborant, reſurrecturi à languore ad priſtinam ſunt ſoſpitatem, recuperandi, præter te ſolum, qui hodierna es die liberandus à morte, & ad viſionem Domini Chriſti, cui fideliter ſerviſti perducendus in cœlum. Quod divina vobis miſericordia, per interceſſionem religioſi ac Deo dilecti Regis Oſuvaldi qui quondam genti Nordan-Humbrorum, & regni temporalis auctoritate, & Chriſtianæ pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, devotione ſublimiter præfuit, conferre digna eſt. *Bed.lib.3.hiſtor. Anglic.c.14.*

De Luciano martyre illud eſt decantatum: moriturum eum, quum vis tyrannicâ, neque templi, neque ſacrarii copiam faceret, & vincula quoque atque plagæ motum prorſus denegaret, in ſuo ipſius pectore diſcumbentem, horrendo illo operatum eſſe myſterio, ad eumque modum, & ipſum participaſſe de immaculato ſacrificio, & aliis, ut itidem communicarent, ſuaſorem fuiſſe. Sacrum id in carcere perficiebatur, & Eccleſiæ ſpecimen ſacer ille chorus, qui eum jam morientem ſtipabat, repræſentabat. *Nicephor. Calliſt. lib.2. hiſtor.cap.51.*

Cum D. Thomas Aquinas in cœnobio Foſſæ novæ diverteret, & ex divina revelatione perciperet, ſupremum vitæ ſuæ diem non longè abeſſe, clara voce, multis audientibus, dixit ad ſocium ſuum: Fili Reginalde; Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Interea morbo ingraveſcente cum ſentiret paulatim ſe viribus deſtitui, cum multa devotione petiit ſibi ſacroſanctam Euchariſtiam exhiberi. Id verò ab Abbate & fratribus admodum reverenter præſtitum eſt. Ut autem allata fuit Euchariſtia, tametſi fractis eſſet viribus, humi ſe proſtravit, cum lacrymis & admirabili pietate orans Dominum. Interrogatus autem, ut habet conſuetudo Eccleſiaſtica, num crederet in ſacra illa hoſtia verum eſſe Dei filium, qui noſtræ cauſa ſalutis ex Virgine natus, & in cruce mortuus eſt, & reſurrexit: libera voce, & cum multa devotione lacrymans, dixit: Ego planè credo, imò pro certo novi, hunc eſſe verum Deum & hominem Jeſum Chriſtum, æterni patris & Virginis matris filium, & quod puro corde credo, etiam labiis ſincerè confiteor. Deinde illud vivificum accepit ſacramentum. Poſtero autem die etiam ſibi voluit Extremam Unctionem adhiberi: ubi cum ad ſingulas verborum formas ſana mente reſpondiſſet, junctis & ſurſum ad Deum erectis manibus, ſpiritum ſuum piiſſimo commendans Creatori, feliciſſimè obdormivit in Domino, hora quidem matutina, ipſis nonis Martii, anno à Chriſto nato 1272. vitæ autem ſuæ 50. *Sur.tom.2.in vita die 7. Martii.*

Sciens Bruno Carthuſianorum Patriarcha, horam veniſſe, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, convocatis fratribus ſuis ab ipſa infantia ſingulas ætates ſuas replicavit, & totius temporis ſui curſum, ſcientia & ſententia dignum, proclamavit. Poſteà fidem ſuam de Trinitate protracto & profundo ſermone expoſuit, & concluſit ſic: Credo etiam ſacramenta quæ ſancta credit & veneratur Eccleſia, & nominatim, panem & vinum, quæ conſecrantur in altari poſt conſecrationem, verum eſſe corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, veram carnem & verum ſanguinem, quæ & nos accipimus in remiſſionem peccatorum noſtrorum, & in ſpem ſalutis æternæ. Proximo inde Dominico die ſancta illa carne ſolutus eſt pridie nonas Octobris, anno Chriſti milleſimo centeſimo primo. *Sur. in vita, ex Franciſc. de Puteo I.V. Doctore.*

A De Ottone III. hunc in modum ſcribit *VVitichindus*: Tertia feria ante Pentecoſten loco advenit, qui dicitur Milevv: proxima nocte juxta morem diluculo de lecto conſurgens, nocturnis & matutinis laudibus intererat. Poſt hæc paululum requievit. Miſſarum deinde officiis celebratis, pauperibus juxta morem magnum porrexit, paululum guſtavit, iterumque in lecto requievit. Cùm autem hora eſſet, proceſſit lætus, & hilaris ad menſam reſedit: peracto miniſterio, veſpertinis laudibus interfuit: peracto cantico Euangelii, æſtuari, & fatigari jam cœpit. Quod cùm intellexiſſent Principes circumſtantes, ſedili eum impoſuerunt. Inclinantem autem caput, quaſi jam defeciſſet, refocillaverunt: expetitoque ſacramento divini corporis, & ſanguinis, & accepto, ſine gemitu cum magna tranquillitate ultimum ſpiritum cum divinis officiis pietatis Creatori omnium tradidit, & inferius: Itaque defunctus eſt nonis Maji, quarta feria ante Pentecoſten Imper. Romanorum, Rex gentium, divinarum, humanarumque rerum multa religioſa ſæculis relinquens monumenta. *Bar.tom.10. ad an.472. ex lib.3.VVitichind.*

Ludovicus Craſſus, cùm mortem ſibi imminere videret, compluribus accerſitis Epiſcopis, poſtquam confeſſionis ſacramento conſcientiam emundaſſet, ſacram ſibi Euchariſtiam conferri poſtulavit. Poſt hæc pavimentum tapete ſterni juſſit, ac ſuper eum ſignum crucis ex cinere fieri, ubi & jaceret, & moreretur. Decumbens igitur in tapete Rex defunctus eſt. *Rob.Gaguinus l.6.hiſtor. Franc.*

David I. Scotorum Rex, quum vitæ terminum adeſſe ſentiret, indignum ſe reputans, ad quem Corpus Chriſti deferretur, duobus ſacerdotibus innitens ad templum venit, & peracta re divina ſermonem ad ſuos habuit de pietate in Deum, quàm beneficus & ſalutaris ipſum colentibus eſſet. Mox in genua procidens, ardentibus precibus Chriſti corpus integra fide ſuſcepit. Inde in cubiculum reductus, convocatis primoribus, nepotes ſuos illis jam extremò commendavit, datoque ſingulis oſculo, ut publicam ſemper utilitatem tuerentur, precatus eſt: deinde commendata Deo anima ſua, expiravit, anno regni 29. ſepultus Doumſermilem in regio parentum ſepulchro, addito inſigni monumento. *Hector. Boethius lib.12. hiſtor. Scotorum.*

Poſtquam Lucia Syracuſana Virgo & Martyr conſtanter ſuam caſtitatem contra lenones defendiſſet, tunc judex Paſchaſius præcepit miniſtris ſuis, ut ignem copioſum circa eam accenderent: picem verò & reſinam & fervens oleum ſuper eam jactarent. Sed illa in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti immobilis ſtetit, dicens: Ego rogavi Dominum meum Jeſum Chriſtum, ut ignis iſte non dominetur mihi, quatenus tibi inſultem plaudens in Domino, & impetravi ab eo inducias martyrii mei, ut credentibus tolleret timorem paſſionis, & non credentibus vocem inſultationis auferret. Tandem gladio in gutture merſo percuſſa, quamdiu voluit, oravit, & turbam circumſtantem allocuta eſt. Nec omnino mortua eſt, donec venientibus ſacerdotibus, communionem Dominici corporis & ſanguinis acciperet. *Ex Martyrol. Adon. Archiep. Trevir. 13. Decemb.*

S. Nicolaus de Tolentino ad extremum uſque ſpiritum ſacræ hoc Euchariſtiæ alimento reficiebat. Unde in extremo vitæ diſcrimine, ipſoque agone conſtitutus, idipſum in viaticum ſibi adminiſtrari petiit. Ut tanto, inquit, viatico munitus, non deficiam in via ad cœleſtem patriam profecturus: & ſi ob demerita mea improbus Belial hoſtis meus mihi occurrerit, poſſim fidenter dicere: Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Et circumſtantibus hinc inde fratribus, & unà cum illo orantibus, ſolemni abſolutione percepta, cum profuſiſſimis lacrymis corpus Domini conſumpſit, ita dicens: Benedictus qui venit in nomine Domini. *In vita ejus apud Surium c.12.*

Georgius Cedrenus in hiſtoriarum compendio deſcribens imperium Mauritii: Experrectus Mauritius ſtatim accubitorem ſuum miſit, qui Philippicum adduceret. Qui deſperata ob id vita, prius communionem ſacram expetiit, eaque percepta ad Imperatorem abiit, uxorem relinquens, quæ ſaccum induta, & cinere conſperſa ejulabat.

Miles quidam nobilis, terram habens & caſtra, apud Federicum Imperatorem à multis accuſatus eſt, quod multos ſpoliaret: quem cùm ſæpiùs citaſſet, & non comparuiſſet, tandem proſcripſit, mandans ſuis, ut illum caperent. Qui cùm lateret, non tamen minùs rapinas exerceret, caſu quodam ex officio captus, patibulo, ſecundum quod Imperator præceperat, appenſus eſt. Tertia die miles quidam præteriens, cum vidiſſet illum, ait ſervo ſuo: Deus, quam pulcher homo erat iſte. Reſpondente puero: Vir ille nobilis eſt conſanguineus veſter; acceſſerunt propiùs, ut depoſitum ſepelirent. Ad quos ille de patibulo clamavit: Deponite me, adhuc enim vivo. Æſtimantibus illis, quia fantaſma eſſet, ſubjunxit: Nolite timere, quia homo Chriſtianus ſum. Depoſitus verò ſic ait: Modicum obſequii ego peccator Deo impendi propter quod miſertus eſt mei, ſingulis diebus tres orationes Dominicas, cum totidem veniis ſanctæ Trinitati dicere conſuevi, Angelica ſalutatione præmiſſa, quinque vero orationes, cum quinque veniis, & Ave Maria, quinque vulneribus Chriſti: ſimili modo unam orationem, id eſt, Pater noſter, Angelo, cui commiſſus ſum. Item eodem modo unam corpori Chriſti, quod ſingulis diebus conficitur per univerſum mundum, quatenus in fine vitæ meæ tanto muniri viatico mererer. Quod & Dominus mihi præſtabit ſua miſericordia: unde rogo, ut vocetis mihi Sacerdotem, à quo illud ſuſcipiam. Qui cum veniſſet confeſſione præmiſſa, communicavit, moxque ſpiritum emittens, ad eum, cui incorporatus fuerat, feliciter migravit: quem in cœmeterio ſepelientes, tam grande miraculum divulgaverunt ubique. *Ex Cæſario lib.9. mirac.49.*

De S. Ansberto dicit hiſtoria, quòd poſt perceptionem corporis & ſanguinis Domini, feliciter migraverit ex hoc mundo. *Surius 9. Februar.*

S. Basilium memorat B. Amphilochius, quod ex hoc mundo non migraverit, priuſquam ſub ſpecie panis ſumpſiſſet corpus magni Domini, qui noſtri cauſas parvus factus fuerat.

S. Benedictus ipſo diſſolutionis ſuæ quam Chriſtus ei indicaverat die, deportari ſe in oratorium, quod ſibi paraverat fecit, ibique exitum ſuum pretioſi corporis & ſanguinis Dominici perceptione munivit. *Greg.l.2. dial.c.37.*

S. Cassii Narnienſis Epiſcopi ſumma erga hoc Sacramentum in vitæ termino pietas fuit. Ille enim inſtantem mortis ſuæ diem prænoſcens, oratorium quod in Epiſcopo habebat adiit, ſacram hoſtiam obtulit, & inde ad lectum reverſus, quo æger exiverat, in Domino obdormivit. *Hoffſtadius ſer.53. de Euchariſtia.*

Laurentius Medices fatali lecto decumbens, nihil prius potiuſque in votis habuit, quam ut ſacro hoc viatico muniretur. Quod cum ad eum Parochus deferret, ipſe velut è lectulo exiliens, Procul abſit à me ait ut patiar Jeſum qui me redemit, ad me venire, tollite quæſo, ut occurram Domino meo. *Angel. Politian. in Epiſt. Laur. Beyerlinch. in Apophtheg. Chriſtianis.*

De Banone, alii Bavone Gandavenſis cœnobii clerico memorat *Marulus*, quod ad deſperationem medicorum infirmus, noluerit hinc diſcedere, niſi viatico ſalutari recreatus, cumque miſiſſet ad presbyterum qui illud ſibi adferret, & is quem miſerat, viæ ignarus aliò diverteret, ab Angelo ad presbyterum accerſendum perductus fuit. *Lib.4. exempl.c.12.*

Agibodi Monachi animam corpus remiſſam mirabiliter, ut non niſi percepto hoc ſalutari viatico emigrarat, ſcribit *Ionas in vita S. Bertulfi.*

De alio Religioſo peſte extincto, precibus S. Ebrulphi Confeſſoris vitæ reſtituto; donec ſacra myſteria acciperet, teſtatur *Autor vitæ illius, citatus à VValtero VVringo lib. de triplici Cœna c.21. Cœn.III.*

B. Petronilla à Comite quodam in conjugem poſtulata, cum Deo virginitatem voviſſet & triduanis orationibus ac jejuniis vacaſſet, adveniente Nicomede Presbytero: Chriſti corpus percepit, ſeque in lectulum reclinans, cum firma eſſet valetudine, ſpiritum Deo reddidit, quaſi à Deo reſolutionem expetiiſſet corporis ſui, ne in graviora diſcrimina relaberetur. *Auct. vitæ SS. Nerei & Achillei c.9.*

ETIAM IN PERICULO CONSTITUTIS Euchariſtia Danda.

Refert *Ioannes Diaconus*, quo pacto fideles qui cum Maximiano Epiſcopo Syracuſano jam jam naufragium facturi videbantur, corpore & ſanguine Redemptoris ſe refecerint, & ad imminens periculum ſe muniverint.

AFFICIENDIS SUPPLICIO Non deneganda.

Exſtat de hac re canon in *Conc. Mogunt. ſub Hrabano Epiſc. c.27.* quo vetatur, ne extremo ſupplicio afficiendis negetur Euchariſtia & ante ea tempora, reis conceſſa fuit, quod confirmatur exemplo Theodoſii Fil. Mauritii Imperat. qui cùm

A ad Coſroam miſſus orator, Phocæ Imperatoris juſſu necaretur ſummopere deſideravit, ut priuſquam ſupplicium extremum ſuſtineret, cœleſti viatico refici poſſet. Quod ubi impetraverat, Deo gratias egit, lepideque è terra ſublato, ter pectus ſuum percuſſit: eoque facto cervicem tortori præbuit. *Cedren. in Phoca an.*1. Etiam in Concilio Provinciali Mechlinienſi decernitur, ut ſupplicio afficiendis tempeſtivè provideatur de S. Euchariſtia: Atque idem etiam edicto ſuo de data anni 1607. voluerunt fieri Sereniſſimi Belgarum Principes; etiamſi ante hac nullus illius rei uſus fuerit. *Art.*10. *ejuſdem edicti.*

PRÆLIUM INITURIS SUMENDA.

Bonfinius decade 2. *de reb. Hungariæ lib.*1. refert Henricum Imperat. prævia confeſſione, ante prælium, ſe & exercitum ſolitum communire armatura SS. hujus Sacramenti.

COMMUNIO SUB UNA SPECIE OLIM USITATA.

Ex Sacra Scriptura.

CHRISTUS Dominus agens de fructu Euchariſtiæ non ſemel, ſed quater docet, unam ſpeciem ſufficere ad ſalutem. *Qui,* inquit, *manducat me, vivet propter me, &c. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita:* B *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Suo exemplo idem comprobavit: Nam ibidem multiplicavit panes, quibus ſaturavit turbam, remanentibus duodecim cophinis, nec ullum potum multiplicavit, neque dedit. *Ioan. c.*6.

Teſtatur etiam Lucas Euangeliſta, Chriſtum Dominum Sacram Communionem ſub ſpecie panis tantùm duobus diſcipulis in Emmaus proficiſcentibus porrexiſſe: ſic enim ait: *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum, &c. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Hunc autem locum de pane Euchariſtico exponunt. *Hieron. Chryſoſt. Aug. Theophylact. in c.*24. *Luc.*

Sed & tempore Apoſtolorum uſitatam fuiſſe unius ſpeciei ſumptionem, ex Actis Apoſtolicis conſtat, ubi Lucas: *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Neophytos enim ſolitos ſtatim à Baptiſmo Euchariſtiam percipere, atque hic de iis agi, res eſt clara, & C hunc locum etiam de Euchariſtia intelligit *Luther. in ſerm. de Euchar. Calvinus lib.*4. *Inſtit. c.*17. §.35.

Sic etiam Paulus dicitur manſiſſe Troade diebus 7. & exſpectaſſe primam Sabbati, ut tunc fideles convenirent ad frangendum panem in magno cœnaculo, lampadibus copioſiſſimè illuſtrato, idque tempore nocturno propter metum perſecutionis. Quorſum enim die Dominico in templum, & tantis cæremoniis conveniſſent Fideles, ſi non ad ſacrum Euchariſtiæ convivium? *Act. cap.*20.

Erant autem inter iſtos Neophytos multi Nazaræi, qui vinum non bibebant durante voti tempore: non ergo iis licitus erat uſus Calicis, & tamen deſcribuntur perſeveraſſe in communicatione fractionis panis. *Suprà.*

Idem Apoſtolus Paulus monens Corinthios ad dignè ſumendum hoc Sacramentum, loquitur ſub disjunctione: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, &c.* Inſinuans alterutram ſpeciem licitè & utiliter ſumi, & indignam ſumptionem alterutrius, incurri reatum corporis Domini. 1. *ad Cor. c.*11.

D EXEMPLA HISTORICA.

Statim poſt tempora Apoſtolorum, unicam ſpeciem Fidelibus uſitatam conſtat. Meminerunt enim *Tertul. Iuſtinus, Origenes,* Gentiles olim in Eccleſia Primitiva proſcindere ſolitos Chriſtianos convitiis, eoſque vocare anthropophagos, quod aliquid de myſterio corporis Dominici, quod in Sacramento dabatur ſubodorati fuiſſent: At nunquam eos inſimulaverunt tanquam vini potores, aut ebrioſos. Et ſanè tempore perſecutionis, quando clam & latenter divina myſteria exhibebantur, non eſt imaginabile, quomodo tantam vini copiam habuiſſet, quæ ſuffeciſſet numero communicantium. *Hoffſtad. ſerm.*61. *de Euchar.*

PHILO Judæus Apoſtolorum contemporaneus, deſcribens vivendi modum primorum Chriſtianorum, qui in Ægypto degebant, teſtatur eos vinum omnino non guſtaſſe. Secus facturus, ſi quotidie vidiſſet illos dum communicabant, ad fractionem panis ſumere vinum. *Idem.*

S. Martyr & Pontifex Pius ordine dicimus à S. Petro pœ- E nitentiam præſcripſit Sacerdoti, cujus incuria aliquid de ſanguine Domini effunderetur, dum in altari eum ſumeret: nulla ibi mentio Laicorum. *Idem.*

DAMASUS Pontifex, qui vixit tempore D. Hieronymi, teſtatur patinas, quarum in communione ſacra uſus erat, fuiſſe olim longè capaciores, quàm fuerint ipſi calices; nam ſcribit in quibuſdam Eccleſiis fuiſſe patinas 30. librarum. Ergo plures ſumebant Euchariſtiam ſub ſpecie panis, ut probabiliter colligit idem *Hoffſtad. ſuprà.*

Narrat *Evagrius lib.*4. *cap.*35. Moris fuiſſe in Eccleſiis Græcorum, ut reliquiæ panis conſecrati diſtribuerentur pueris innocentibus, nulla facta mentione reſidui vini, quod tam indubiè debuiſſet nonnumquam ſupereſſe.

Manichæi quoque communicabant olim inter Catholicos ſub una ſpecie, & tamen nunquam legimus ob id ab Eccleſia reprehenſos. Exiſtimabant enim vinum fel draconum; quod quia advertebat *Gelaſius Papa,* nempè eos ex falſa ſuperſtitione abſtinere ab altera ſpecie, ſtatuit ut nemo niſi ſub utraque ſpecie communicaret, ut à Manichæis diſtingueretur. At patres in Concilio Conſtantienſi, quod viderent F Huſſitas in Bohemia pertinaciter urgere utramque ſpeciem velut neceſſariam ad ſalutem, cum tamen Laici ſub una tum communicarent, alterius ſpeciei uſum laicis omnino de cætero ob graves cauſas interdixerunt. ☞ *Vide Leonem Pap. ſerm.*4. *de Quadr.*

Sicut autem Romæ liberum ſemper fuit ſub una, vel utraque ſpecie primis illis temporibus communicare: ita etiam in Eccleſia Orientali Conſtantinopoli, tempore *D. Chryſoſt.* De quo hiſtoria cujuſdam Macedoniani refertur ſuprà, *Tit. Pena non credentium Chriſti præſentiam, &c.*

Certiſſimum quoque eſt olim conſueviſſe Fideles Euchariſtiam domum deferre, ibique pro opportunitate ſumere: nunquam autem legimus deferre ſolitos utramque ſpeciem. Imò *Auguſt. ſer.*252. *de temp.* Omnes mulieres nitida exhibent linteola, ubi corpus Chriſti accipiebant. ☞ *Vide Baſilium ep. ad Cæſar. Patric. Clem. Alex. lib.*1. *ſtromatum.*

MIRACULA HANC REM Confirmantia.

G Eccleſia jam à multis ſæculis Euchariſtiæ Sacramentum ſub ſpecie panis tantùm diſpenſare conſuevit, ne ſimpliciores crederent, Chriſtum non contineri integrè ſub altera ſpecie, ut aliquando contigit: Religioſus enim quibuſdam petentibus & inſtantibus, ut ſub utraque ſpecie Sacramentum ſumerent, ſacerdote quodam procantante, cùm faceret fractionem, concavum patinæ totum viſum eſt repleri ſanguine. Ad quod obſtupuerunt ipſe & circumſtantes: ſed cùm conjungeret partes hoſtiæ, totum viſum eſt reintrare: ſic petitioni & tentationi illorum penitus fuit ſatisfactum. *Alexan. Alenſis* 4. *p. quæſt.*11. *n.*2. *art.*4. §.3.

*Cyprian. ſerm.*5. *de lapſis:* Et cùm quædam, inquit, arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente territa eſt, ne auderet attingere. Et Alius, qui & ipſe maculatus de ſacrificio, à ſacerdote celebrato partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere. Sanctum Dominum edere & contrectare non potuit: cinerem ferre ſe apertis manibus invenit. Documento unius oſtenſum eſt, Dominum accedere, cùm negetur: nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe, quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente, mutetur. H

Theodor. Cyri Epiſcopus, in Philotheo, ſive in hiſt. Sanctor. Patrum, in vita 26. quæ eſt Simeonis Moyſis, & Eliæ divinorum virorum exemplo, commemorat, eum quadraginta dies abſque ullo cibo jejunare decreviſſe. Quare Baſſum, qui ea tempeſtate oppidorum presbyteris præfectus multa loca circuibat, rogat, ut nulla re intra domunculam relicta, fores ipſas cæmentis obſtrueret. Qui rei difficultate propoſita, ab hujuſmodi incepto deterrebat, violentamque ſibi mortem conſciſcere quenquam, non eſſe virtutem, ſed vitium, & primum & maximum, admonebat. His acceptis, vir Dei: depone, inquit, ò pater hic decem panes, & aquæ lagenam: nam ſi corpus cibo indigere ſenſero, ſumam illum. Rectè, inquit, ille, Mox pane & aqua depoſitis, fores obſtruxit, ut juſſerat. Poſt quadraginta dies reverſus Baſſus, dirutis foribus ingreditur; panumque numerum, & urnam aqua plenam ita, ut reliquerat, invenit; ipſum autem jacentem, nec ſpirantem, & nec loqui, nec moveri potentem. Quare accepta ſpongia labra illius primùm madefacit; mox divinorum myſteriorum ſymbola impoſuit: quibus

A quibus ille defectus ſurrexit, ac cibi aliquantulum ſumpſit, lactucas ſcilicet, cichoria, aliaque hujuſmodi, quas dentibus non admodum confectas demittebat in ſtomachum. Quam rem admiratus Baſſus in proprium gregem ſe recepit, magnumque hoc miraculum ſuis enarravit, quos plus quàm ducentos habebat: illos tamen neque jumentum, neque molas poſſidere; neque allatas pecunias accipere, neque monaſterii foribus, aut ad res neceſſarias parandas, aut ad amicos inviſendos egredi, ſed intus manere, & id tantum, quod Spiritus Sancti gratia ſibi miſſum fuiſſet, accipere volebat. *Theod. in hiſt. SS. Patrum* 26. *quæ eſt Simeonis.*

*Guilielmus Abbas S. Theodorici, in vita S. Bernardi lib.*1. Agebatur, inquit, ſolemnitas quædam præcipua, & Frater aliquis, quem ſecreta culpa ab altaris ſacri communione ſuſpenderat, notari timens, & roborem non ſuſtinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præſumptuoſus acceſſit. Intuitus autem eum, quoniam cauſa latens erat, repellere hominem noluit, ſed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præſumptione melius aliquid ordinaret. Itaque ſumens homo Euchariſtiam non poterat ad interiora trajicere, & diu B multumque conatus, cùm nullo modo prævaleret, anxius & tremebundus clauſam ore ſervabat. Expleta denique hora orationis ſexta, Patrem ſanctum traxit in partem; cujus pedibus advolutus, cum multis ei lacrymis, quod patiebatur, aperuit: & aperto ore ipſam quoque Euchariſtiam oſtendebat. Increpans autem eum, confitentem abſolvit, & ſine difficultate recepit Dominica ſacramenta. *Auct. vitæ S. Bernardi l.*1. *cap.*1.

ERRORES CIRCA COMMUNIONEM SUB UNA SPECIE.

Et veritas Catholica, unam admittens, alteram vetans.

Controverſia de Communione, ſub utraque ſpecie, exorta eſt Pragæ in Bohemia, circa ann. Dom. MCCCXII. Auctoribus Petro Dreſdenſi, & Jacobello Miſnenſi. Nam ut ſcribit *Aeneas Sylvius, in hiſtoria Bohemorum, cap.*35. Petrus ille Dreſdenſis cùm incidiſſet in verba Domini, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem miratus eſt, cur contra tam evidens præceptum Domini, laicis uſus calicis interdiceretur. Itaque Jacobellum monuit, ut pro concione dice- C ret, uſum calicis ad ſalutem neceſſarium. Placuit doctrina hæreticis, quia expreſsè videbatur inventa contra decreta & praxim Romanæ Eccleſiæ.

Ante hoc tamen Manichæi dumtaxat ſub ſpecie panis communicabant, alteram ſpeciem inutilem & ſuperſtitioſam æſtimantes, ut paulò ante adduximus, & titulo proximo amplius dicemus.

Sunt & celeberrimi Scriptores, qui dicunt in Concilio Epheſino quod fuit 3. Oecumenicum, decretam fuiſſe Laicorum communionem ſub una ſpecie, occaſione Neſtorii hæretici, qui inter alios errores docebat, Chriſti carnem in Sacramento eſſe ſub ſpecie panis abſque ſanguine, & ſub ſpecie vini ſanguinem abſque carne, lege *Gabr. Biel. lect.*84. *in Cant. Cajet. Goſium, Ioan. Heſſel.* & alios ab Hoſſtadio citatos.

Certè poſt Dreſdenſem & Miſnenſem error ille apud Bohemos invaluit, ita ut etiamnum vigeat vel maxime, & peculiari nomine qui eum tenent Huſſitæ appellentur à Joanne Hus Bohemo, in Conſtantienſi Concilio condemnato, & à fuga quam contra edictum Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ Regis inierat, retracto & igne cremato. Siquidem Pon- D tifex Romanus, qui ut tantus error Chriſtianorum pectoribus proſcriberetur, celeberrimum Concilium indixit Conſtantiæ an. 1415. cui interfuerunt Patriarchæ 3. Cardinales 33. Archiepiſcopi 47. Epiſcopi 228. Doctores Sacr. Theologiæ 217. Utriuſque Juris 331. præter alios viros præclaros. In hoc Concilio diligentiſſimè ventilata fuit iſta quæſtio, an Calix Laicis eſſet neceſſarius? magnoque conſenſu pars negativa definita fuit.

Et poſtmodum in Concilio Florentino, quod XXII. annis poſt Conſtantienſe fuit celebratum, Græci quamvis acerrimi hoſtes Eccleſiæ Latinæ, huic tamen definitioni ſubſcripſerunt. Interfuit enim Florentino Concilio Græcorum Imper. Paleologus, & Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus cum pluribus Epiſcopis. *Hoſſtadius ſerm.*61. *de Euchariſt.*

Verum hoc elapſo ſæculo Lutherani eundem errorem ſequuntur, quamvis eorum magiſter Lutherus aliter & aliter de hac re ſenſerit, ſibique non conſtet, nunc enim totum Chriſtum ſumi ſub qualibet ſpecie apertè dicit, & concomitantiam corporis cum ſanguine in calice admittit, ut in *Aſſert.* E *art.*6. nunc utrumque rejicit. *In Informat. ad amicum quemdam de Commun. ſub utraque.*

Interim Lutherani tripliciter dividuntur, ut notat *Card. Bellarm. lib.*4. *cap.*21. *de Euchariſtia.* Quidam etiamſi Chriſti corpus & ſanguinem eſſe contendant in hoc Sacramento, negant tamen concomitantiam: ſed volunt ſolam carnem ſub ſpecie panis, & ſolum ſanguinem, ſub ſpecie vini contineri. Ita *Tilmanus Heſnuſius lib. de erroribus Pontific. tit.*17. *errore* 4. & 14. Alii qui ubiquitatem Chriſti defendunt, ſentiunt hic cum Catholicis. Denique qui inter eos prudentiores ſunt diſſimulant, hanc quæſtionem, ut *Philip. Melant. in Apolog. Confeſſ. Auguſtanæ, art.*10. quamvis in fine præfatæ Apologiæ aſſerat ſe loqui de corpore vivo.

Calviniſtæ qui corpus & ſanguinem dumtaxat in ſigno & figura ponunt, hanc etiam concomitantiam oppugnant. Poteſt ne abſque injuria Chriſti, dici, ſignum corporis ejus tantummodo ſignificare corpus: & ſignum ſanguinis, ſanguinem. *Vide Calvin. lib.*4. *Inſtit. cap.*47. §.18. 35. & 47. & *in conſenſione de re Sacramentaria, in fine.*

Porrò Catholicorum ſententia eſt. In conſecratione ſive F confectione hujus Sacramenti, vi verborum formæ ſive Sacramenti, ſub ſpecie panis poni corpus tantum: animam vero, divinitatem, & ſanguinem, per concomitantiam. Idem de ſpecie vini, ſive de calice intelligendum. Sumitur autem concomitantia hæc animæ quidem, ex vi naturalis unionis: divinitatis vero, ex vi unionis hypoſtaticæ. *Vide Conc. Trid. ſeſſ.*13. *c.*3. Et ſanè, cum totus Chriſtus ſub una ſpecie contineatur ſeparatim ſumpta, ſemper eundem integrum & totum accepit, qui vel ſub hac, vel ſub illa ſpecie acceperit; quomodo de veteri Manna legimus, nec qui plus collegerat habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus. *Exod.*16.

Ab ipſo autem Chriſto qui in Euchariſtia eſt præſens, effectus hujus Sacramenti dependet: non vero immediatè ex vi verborum. Loquitur de effectu quem fideles conſequi intendunt perceptione hujus Sacramenti, qui eſt gratia Sacramentalis, ſive interna animæ refectio. Cujus etiam ſignificatio æque perfecta eſt per alteram ſpeciem, ac per utramque; cum ſit res eadem ſignificata utrobique. Quamvis modus ſignificandi videatur perfectior per utramque, quam per unicam dumtaxat. Verum Sacramenti eſſentia non reſpondet ſignifi- G cationi ex parte modi ſignificandi, ſed ex parte rei ſignificatæ. De quo amplius legatur, *S. Thom. p.*3. *q.*80. *art.*12. & qui eundem commentati.

QUOD UTRAQUE, VEL ALTERUTRA LICITE OLIM USURPATA,

Non tamen neceſſario.

Primis Chriſtianis familiarem fuiſſe utriuſque ſpeciei uſurpationem, probant Liturgiæ veteres SS. Jacobi & Marci. Imo uſque ad ævum. *B. Cypriani qui ſerm. de lapſis,* meminit puellæ, cui Diaconus peractis Miſſę ſolemniis calicem porrexit. Ejuſdem etiam propinati, tum nobili fœminæ, tum Principi Palæſtinæ hiſtoriam commemorat. *Ioann. Moſchus in Prato ſpirituali, c.*27. & 28.

Eleuſius de rebus geſtis S. Theodori, Sueotæ, narrat Georgium Cappadocem virum nobilem, majeſtatis læſæ accuſatum, dum ad Phocam Imp. duceretur, à B. Theodoro in itinere divinæ communionis poculum accepiſſe.

*S. Gregor. hom.*22. *in Euang.* Quid, inquit, ſit ſanguis Agni, H non audiendo didiciſtis.

Huc faciebant Calices miniſteriales quorum olim frequentes uſus B. Remigius ſuo verſu inſculpit, apud Amalarium:

Hauriat hinc vitam populus de ſanguine ſacro, &c.

De S. Laurentio conſtat, Dominici ſanguinis diſpenſationem olim illi tanquam Diacono creditam fuiſſe. *Leo ſerm. de eodem, & Ambroſ.* Quin ad eum uſum, canna ſive fiſtula nonnunquam uſi, & fatetur *B. Rhenanus Scholiis in Tertul.* Et primæ Ordinis Carthuſianorum conſtitutiones permittunt illis iſtiuſmodi fiſtulas, quibus Laici Dominicum ſanguinem exſorbeant. Atque in Eccleſia Moguntina, inter alios theſauros, ſex ejuſmodi fiſtulæ olim habitæ, ut conſtat ex Manuali veteri ante annos 400. congeſto.

Extant quoque Decreta Leonis & Gelaſii Pontificum, quibus præcipitur utraque ſpecie ab omnibus fidelibus ſumi: non quod utramque neceſſariam ad Sacramenti valorem exiſtimarent, ſed ut ea ratione nequitiæ obviarent Manichæorum,

A rum, qui cum Chriſtum habuiſſe dumtaxat corpus phantaſticum abſque ſanguine crederent, abſtinendo à calice errorem ſuum palliabant. Ideoque Pontifices pro tempore ſtatuerunt, ut utraque ſpecies perciperetur, aut ſaltem calicis perceptio non omitteretur. Ac plurimos Manichæorum labe infectos hoc argumento fuiſſe deprehenſos, docet Anaſtaſius Bibliothecarius, qui poſtmodum in exilium pulſi fuere. Legatur *Aeneas Sylv. Dial. contra Taboritas hæreticos.*

SPECIES VINI QUANDO, CUR, QUIBUS VETITA.

Jam à tempore Concilii Epheſini decretum fuit, ut paulò antè à nobis judicatum: calicis ſumptionem Laicis neceſſariam non eſſe: imò ab eo arcendos, occaſione erroris Neſtorianorum, qui ſanguinem abſque carne ſub vini ſpecie conſtituebant. Auctores ibidem produximus, qui teſtentur. Item poſteriorum Concilia, quibus uſus calicis vetitus fuit Laicis.

B Occaſionem Decreti tam olim, quàm poſterioribus ſæculis dederunt errores hæreticorum, qui Chriſtum integrè ac verè contineri ſub altera ſpecierum pertinaciter negabant.

Præter hos tamen, fuit periculum irreverentiæ, cui exponimus Dominicum ſanguinem, dum ſub vini ſpecie exhibetur. Facilè enim aut labi quidquam poteſt, aut adhærere, præſertim viris, quorum ſuperius labium barba prominentiore veſtitur; ut nihil dicamus pleroſque abhorrere à vino, ac in ipſa ſorbitione promiſcuè facta effuſionis alicujus incurri diſcrimen.

Deindè ſpecies vini facilius aceſcunt, & corrumpuntur. Unde ad uſum communicantium, præſertim infirmorum, ſervari, & abſque periculo deferri non poſſunt, nec conſtat aliquando delatas.

Rodulphus Abbas S.Trudonis, ante annos 450. circiter ſcribens de Sacramenti hujus miniſterio, ita canit:

Hic, & ibi cautela fiat, ne presbyter ægris.
Aut ſanis tribuat Laicis de Corpore Chriſti,
Nam fundi poſſet leviter: ſimplexque putaret.
Quod non ſub ſpecie ſit totus Ieſus utraque.

C Etiam in hæreticorum tumultu & perſecutione, difficulter utramque ſpeciem ſubduxeris; nec deſunt exempla effuſionis ſacrilegæ impulſu Paganorum factæ.

Ideò etiam Zoſimus anno circiter 418. præcepit, ut nulli poculum ſacrum publicè proponeretur, præterquam in cellis fidelium, & potiſſimùm Clericorum.

Ricardus Notimgamius addit ſuperioribus has cauſas, ne inquit, ſimpliciores arbitrentur ſub una ſpecie dimidiatum ſumi Chriſtum: neve ſimiles Judæ videamur, cui Dominus panem intinctum porrexit. *Comment. in 1. ad Cor.*

Laicis igitur promiſcuè calicis uſus meritò interdictus: Imò & Clericis quibuſcumque extra ſacrificium. In hoc enim, ut rectè Æneas Sylvius ſuprà: utraque ſpecie exigitur, quia eſt imago ſacrificii, in quo Chriſtus adſiſtens Pontifex futurorum bonorum, ſeipſum pro nobis obtulit in ara Crucis. Ideoque non ſolum repræſentatur Chriſtus paſſus, ſed etiam paſſio ipſius, in qua ſanguis à corpore fuit ſeparatus. In puro autem Sacramento quod ad ſanctificationem noſtram requirimus, ut inviſibilis nobis gratia ſub viſibili ſpecie tradatur, ſufficit repræſentatio Chriſti paſſi, quæ ſub ſpecie panis abundè perficitur; quia
D & Dominus ſeipſum grano tritici comparavit. Ita Pontifex.

QUIBUS CALICIS USUS PERMISSUS.

De Laicis inquirimus. Et horum quibuſdam calicis perceptionem conceſſam, docent Annales Bohemis *in Conc. Baſilienſi* 30. permiſſa hac lege, ut ſub ſpecie panis integrum Chriſtum agnoſcerent: at privilegio exciderunt, cum utramque ſpeciem neceſſariam prædicarunt. Legatur idem *Aeneas de Orig. Bohem. c.* 35.

Regi Galliarum indultum à Clemente VI. ſub utraque ſpecie communicare, quod tamen reſtringunt melius alii ad diem coronationis, & articulum mortis.

Imperatori etiam hanc gratiam factam ſub Paulo II. vult *Auguſt. Patritius de Adventu Frederici III.*

Martinus V. ſolemniter celebrans, manu propria impartiit conſecratum calicem populo, ut *Henric. Raltiſenus Archiep. Nidroſien. orat. cont. Bohemos in Conc. Baſilienſi habita.*

Quin Summo Pontifice ſolemniter celebrante, Diaconus Cardinalis defert Calicem ſacrum Cardinalibus præſentibus, ut conſtat *ex Ritual.* Per Orientem, & Aquilonem, apud E Moſchum, vicinoſque Barbaros, Græcos, Armenos, licitè, & abſque culpa ait Lindanus, utraque ſpecies eſt in uſu.

* EUCHARISTIA ASSERVATA IN ECCLESIA, Et alibi, in uſum Fidelium.

ERRORES.

Quod extra uſum non ſit verè Corpus Domini in Euchariſtia.

Sacramentariorum noſtri temporis commentum eſt, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe dumtaxat actionem tranſeuntem, adeoque Chriſtum non eſſe præſentem niſi in ipſa ſumptione, ſeu manducatione panis Euchariſtici.

Enixus eſt hoc portentum primus Martinus Rucerus, ut per hoc conciliaret Lutheranos & Zvvinglianos, anno M.D.XXXVI. 23. die Maji, conatus id ſuadere Luthero. Ipſam ſcilicet ſumptionem propriè ſacramentum eſſe. Nihilominus eam ſententiam facilè omnes poſteri illorum amplexi ſunt, ut ita deſererent apud ſuos Catholicorum dogma, qui Eu- F charistiam dicunt rei eſſe permanentem, nimirum *Hoſtiam conſecratam.*

Neque tamen in hac re conſentiunt Sectarii. Nam Calvinus, Illyricus, & alii communiter, contendunt tunc ſolùm panem & vinum eſſe Sacramentum quando comeditur & bibitur; unde negant poſtmodum manere, dum ad ægrotos defertur: At Martinus Kemnitius docet Chriſtum præſentem in tota actione cœnæ: hoc eſt, dum panis accipitur, frangitur, diſtribuitur, ſumitur, etiam dum ad ægrotos immediatè defertur & ſumunt non ut ſervent. Ita *Kemnit. par. 1. exam. ſeſ. 12. Conc. Trid. c. 3. & 6.*

Alii huc etiam progreſſi, ut dicerent toto triduo in uſum infirmorum poſſe ſervari Euchariſtiam, totoque illo tempore manere Sacramentum, & realiter corpus Domini. Ita ex *Lindano refert Claudius Sanctes repet. 4. de Euch. c. 12.*

Catholicam veritatem adſtruemus tribus Argumentis. Nempe, Sacramentum Euchariſtiæ jam olim cum naſcente Eccleſia extra uſum & manducationem, tam in templis, quam alibi aſſervatum: à populo adoratum: & honorificè circumgeſtatum in proceſſionibus. G

EUCHARISTIA ASSERVATA.

Tempore Apoſtolorum *Clemens Romanus l. 8. conſtit. c.* 13. ſive ut habet alia editio *cap.* 20. jubet peracta Communione quod ſupereſt de Corpore Domini, reponi à Diaconis cum debita reverentia in Paſtophorio; quod exponit *D. Hieron. comm. in c. 22. Iſai.* ſignificare Tabernaculum, ſeu Thalamum, ubi Templi Præpoſitus habitat. Imò olim ſervatam Euchariſtiam in vaſe ad formam columbæ factam, refert *Durandus de rit. Eccl. l. 1. c. 16.*

Poſt annum Domini centeſimum, *Juſtinus Mart. Apolog. 2. ſub finem*, teſtatur. Quod ſacris peractis in Eccleſia Euchariſtia conſueverit dari Diaconis, deferenda ad abſentes fratres, qui impediti fuerant, ne intereſſent celebratione myſteriorum.

Irenæus epiſtola ad Victorem Papam teſtatur, Papam olim ſolitum mittere Euchariſtiam ad alios Epiſcopos, in ſignum pacis & communionis. *Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 24.* ☞ *Vide exemplum quod ex D. Cypriano ſupra attulimus.*

Sæculo ſecundo floruit *Dionyſ. Alexand.* qui refert, Serapionem quendam in extremis agentem, miſiſſe puerum ad H presbyterum, ut ad ſe veniret cum ſacramento Euchariſtiæ, ſed presbyterum tunc infirmum, cum non poſſet ipſe venire, miſiſſe particulam Euchariſtiæ per eundem puerum. Ergo jam mos invaluerat, aſſervandi Euchariſtiam pro infirmis. *Dionyſ. Alex. epiſt. ad Fabium, Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 36.*

S. Tharſicius Martyr cum Euchariſtiam deferret, & paganis quærentibus quid eſſet, noluiſſet aperire, ab illis occiſus eſt, & divino miraculo Sacramentum diſparuit. *Beda in Martyrol. die 15. Auguſti.*

Etiam per Diaconos olim diſtributam in abſentia presbyterorum Euchariſtiam, teſtatur *Can. 14. aliis* 18. *Conc. Nicæni.* In ſignum quod ea in Eccleſia ſervaretur quovis tempore, pro commoditate diſpenſanda. *Ruffin. lib. 10. hiſt. c. 6.*

Anachoretæ quoque circa eadem tempora, dum propter corporis infirmitatem aliaque incommoda, non poſſent ſæpius Eccleſias frequentare, ſolebant Euchariſtiam ſecum in eremum deferre. *Baſil. epiſt. ad Cæſariam Patritiam.*

Gorgonia ſanctiſſima fœmina, cujus meminit *Gregor. Na-*

A *Nazianz.* ſolita erat nocturno tempore ante Euchariſtiam procumbere, & partem Euchariſtiæ, quam pro more illius temporis aſſervabat, in conſpectu habere. *Nazianz. in orat. in Gorgon.*

Satyrus, Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi frater, particulam Euchariſtiæ ſuſpendit in periculo naufragii ad collum ſuum, eoque auxilio fretus, ſe in mare dejecit, & incolumis ad littus evaſit. *Ambroſ. orat. de obitu Satyri, cap. 7.*

Juſtinianus Imperator inſigne templum erexerat Conſtantinopoli circa ann. DXXX. quo abſoluto, evenit, ut magnus globus (σφαῖρα Græcè) verſus Orientem collocatus terræmotu decideret, eoque caſu & ciborium ſacræ menſæ (ita verbum Græcum ſonat κιβώριον) & ipſa ſacra menſa, & ambulacrum ſuperius contererentur. *Zonaras in hiſtoria.*

Quin in eadem urbe milites tumultuantes ad veſperam magni Sabbati, ut ſcribit *Nicephorus*, Sanctuarium ingreſſi, tantas turbas excitarunt, ut etiam ſacratiſſimus Domini ſanguis in ſacrario ſervatus in eorum veſtes effunderetur. Ergo etiam ſub
B ſpecie vini Sacramentum ſubinde ſervatum conſtat. *Niceph. lib. 3. cap. 19. hiſtor. Eccleſ.*

Et laudat *S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum*, S. Exuperium Toloſæ Epiſcopum, quòd ob voluntariam inopiam cogeretur Chriſti corpus in caniſtro portare.

S. Benedictus Euchariſtiam ſuper pectus Monachi recèns mortui poni juſſit, eoque facto ſepeliri. Quo etiam ſæculo conſtat, Monachos S. Gregorii Romam Conſtantinopoli navigantes, ſecum in navi Euchariſtiam detuliſſe, ut in periculo naufragii non carerent præſidio viatici. *Greg. lib. 2. Dial. c. 24. Ioan. Diacon. lib. 2. c. 33.*

Greg. Turonenſis memoriæ prodidit *in lib. de gloria Martyrum cap. 86.* In Eccleſia cujuſdam vici in Gallia, dum Diaconus acceptam turrim (hoc enim nomine appellat Hierothecam, quia olim ad formam turris, ſicut & modò, conficiebatur) ad oſtium deferret, ut altari ſupponeret, in qua turri Myſterium Dominicum (ita ſacram Euchariſtiam appellat) habebatur; turris elapſa de manibus ejus, ferebatur in aere: & ſic ad ipſam accedentem nunquam manus Diaconi potuit aſſequi. *Hofſtad. ſerm. 67.*

C Narrat *Ven. Beda*, Religioſum quendam Laicum, nomine Cedmon, intempeſta nocte gravi infirmitate preſſum, & jamjam ante oculos mortem ipſam conſiderantem, ſolicitè ex confratribus quæſiviſſe, num in Sacrario ſupereſſet viaticum; illudque ad ſe ocyùs deferri curaſſe. *Lib. 4. hiſt. Anglic. cap. 24.*

Quin Donatiſtæ in templa Catholicorum irruentes ante annos MCCC. juſſerunt S. Euchariſtiam canibus projici devorandam: at hi rabie accenſi, in ſceleratos dominos dente vindice irruunt, & velut Acteonem poeticum dilaniarunt. *Optatus Milevit. lib. 2. cont. Parmen.*

Quocirca Honorius Pontifex, & poſt eum alii decreverunt, ut S. Euchariſtia loco & vaſculis mundis collocaretur, ubi corpus Dominicum dignè reponi poſſet ad viaticum hinc migraturis. Conſtat *in Conc. Turonenſi. Item lib. 3. decretal. de celebr. Miſſ. tit. 14. cap.* 10. Idque exemplo mandati veteri populo à Deo dati, quo præcepit, Manna ſervari in urna aurea; ut teſtatur *Paulus in epiſt. ad Heb. cap. 9.*

Huc referri poterunt pleraque ſuperius allegata, quibus addimus, quæ ſequuntur, tum exempla, cum Miracula.

D S. Basilius Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopus creatus regebat Eccleſiam divina fretus providentia. Elapſo autem aliquanto tempore, rogavit divinitùs ſibi dari gratiam, ſapientiam, & intellectum, ut propriis ſermonibus poſſet illi incruentum offerre ſacrificium, & ut adveniret in ſe Spiritus Sanctus. Poſt ſex igitur dies velut in ecſtaſi factus, ſeptimo die adveniente in illum Spiritu Sancto cœpit miniſtrare Deo per ſingulos dies (Interpres habet, miniſtrare, unde ſatis conſtat, in Græco haberi λειτουργεῖν, quod nos vertere poſſumus, miſſam facere, vel ſacrificare) atque aliquo interjecto temporis ſpatio, fide & oratione cœpit propria manu miniſterii (id eſt, liturgiæ: ſic enim evidenter apparet in Græco legi) myſteria ſcribere. Porrò nocte quadam veniens ad eum Dominus in viſione cum Apoſtolis, propoſitionem panis faciens in ſancto altari, excitavit eum, dicens: Secundùm petitionem tuam repleatur os tuum laude, ut propriis ſermonibus offeras ſacrificium incruentum. At ille non ferens oculis viſionem, ſurrexit cum tremore, & acedens ad altare, cœpit dicere, ſimul etiam ſcribere in charta: *Repleatur os meum laude*, ut Hymnum dicat gloriæ tuæ Domine Deus, qui creaſti nos, & adduxiſti in vitam hanc; & cæteras orationes ſanctæ liturgiæ, vel E ſancti miniſterii. Et poſt finem orationum, exaltavit panem, ſine intermiſſione orans, & dicens: Reſpice, Domine Jeſu Chriſte Deus noſter, de ſancto habitaculo tuo, & veni ad ſanctificandum nos, qui ſurſum cum Patre ſedes, & hìc inviſibiliter nobiſcum ades. Dignare potenti manu tradere nobis, & per nos omni populo tuo ſancta ſanctis. Populus reſpondit: Unus ſanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus cum ſancto Spiritu, in gloria Dei Patris: Amen. Dividens autem panem in tres partes, unam quidem ſumpſit cum timore multo: alteram verò reſervavit, ut cum ipſo ſepeliretur: tertiam repoſuit in columba aurea, eamque pendere voluit ſupra altare. Porrò Eubulus, & primi à Clero aſtabant ad templi fores, videbantque lucem intelligibilem in templo, & viros glorioſos & illuſtres candidis amictos veſtibus: cumque audirent voces populi Deum glorificantis, & Baſilium cernerent altari aſſiſtentem, ſtupefacti hac viſione, corruerunt in facies ſuas glorificantes Deum. Exeunte autem Baſilio, ad illius pedes ſe dejecerunt: illoque ſciſcitante, quid ſibi vellet iſthæc adoratio, & illorum præſentia, indicaverunt ei viſionem admirabilem, F quam in templo vidiſſent. Tum ille gratias agens Deo ſine intermiſſione, quòd feciſſet mirabilia, accerſivit aurifabrum, juſſitque confici columbam ex auro, in qua eam, quam diximus, repoſuit portionem, ſuſpendens eam ſupra menſam ſanctam; in quo ſpecies ſanctæ columbæ illius, quæ apparuit in Jordane, Domino baptizato. *Ex Amphilochio, Sur. in vita 1. die Ian.*

Cum veniſſem Seleuciam, convenimus Abbatem Theodorum Epiſcopum ejuſdem civitatis. Ille autem narravit nobis dicens: Sub ſanctæ memoriæ Dionyſio hujus civitatis Epiſcopo prædeceſſore meo tale quid contigit. Vir quidam erat in hac civitate negotiator, valdè religioſus dives, ſed hæreticus; erat enim de Severi ſectatoribus: habebat autem ſervum fidelem quendam ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communicantem. Hic ſecundùm provinciæ conſuetudinem, die ſancto Cœnæ Dominicæ, ſumptam Communionem involvit in linteo mundiſſimo, & in armario repoſuit. Contigit autem, ut poſt ſanctum Paſcha vir ille fidelis mitteretur Conſtantinopolim negotii cujuſdam gratia, dimiſſa per oblivionem ſancta communione in armario: dedit au- G tem ejus clavem domino ſuo. Quodam verò die aperiens armarium dominus, invenit linteolum, involutaſque in eo ſanctas particulas Communionis. Contriſtatus eſt autem in hoc, & hæſitabat, quidnam de illis faceret. Nam ex illis communicare nolebat, eò quòd eſſent ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ: ipſe verò Severianæ hæreſis. Et nunc quidem dimiſit eas in armario, ut erant, cogitans, quia rediturus eſſet ſervus & ſumpturus eas. Cùm autem veniſſet Cœna Domini, nec ſervus ille rediiſſet, voluit eas dominus ipſius comburere, ne rurſus & in ſecundum annum ſervarentur. Apertoque armario, vidit omnes ſanctas particulas culmos & ſpicas germinaſſe. Unde ingenti timore comprehenſus, in novo admirandoque ſpectaculo, ſumens ſanctas particulas, & cum omni domo ſua clamans, Kyrie eleiſon, convenit ad ſanctam Eccleſiam, ad ſacroſanctum ac venerabilem Epiſcopum Dionyſium. Hoc autem magnum & terribile, & omnem rationem, omnemque mentem excedens miraculum, non unus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt; ſed omnis Eccleſia, civeſque, ruſtici, & indigenæ, qui continenter ambulant, qui navigant viri, & alii omnes: & illi quidem cla- H mabant, Kyrie eleiſon: Cæteri autem aliter Deum laudabant: Omnes pariter Deo gratias agebant pro ineffabilibus ejus mirabilibus. Plurimi ergo ex hoc miraculo credentes, adjecti ſunt ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. *Sophron. in Prato Spirit. cap. 7. Baron. tom. 6. Annal. ad an. 513. 24. & 25.*

S. Byrinus in Angliam ab Honorio Papa miſſus, cùm pervenit ad littus freti Britannici, navem aſcenſurus, divina celebrabat myſteria, ſibi ſuiſque viaticum parans, ſalutaris Hoſtiæ pia libamina Deo obtulit. Urgente verò navigationis articulo, ad navim feſtinans introducitur. Inſurgente vento, dum alta ſulcarent pelagi, reminiſcitur Byrinus, ſe rem præcipuè charam amiſiſſe, & nautis urgentibus impeditum in littore, unde abſceſſerat, reliquiſſe. Dederat enim ei Honorius Papa pallam, ſuper quam Corpus Chriſti conſecrabat, & in qua corpus Dominicum involutum, & ad collum ſuſpenſum ſemper ſecum ferebat, atque inter ſacranda ſacroſancta myſteria ſuper ſanctum altare ponere conſuevit. Fide igitur armatus, in mare deſcendit, Deum auctorem habens per mare ſecurus ince-

A incedit: & recepto, quod reliquerat, ad navem regreditur; offendit autem illam quaſi immobilem ſtantem, cùm paulò antè per undas maris velociter currentem reliquiſſet: ut autem in eam ingreſſus eſt, nec una quidem in veſtimento ejus aquæ gutta deprehenſa eſt. Id nautæ videntes, flexis genibus, tamquam Deum, eum adoraverunt, & complures ex eis ad fidem Chriſti, prædicante illo verbum Dei converſi ſunt. *Baron. tom.* 8. *Annal. ad ann.* 635. *Surius in vita.*

Cum Divus Joan. Chryſoſtomus ferias Paſchales aliquando exul cum Epiſcopis multis, presbyteris, aliiſque Eccleſiaſtici ordinis in publico lavacro, cui Conſtantinum nomen erat, celebraret, manus militaris ab Arcadio miſſa confertim ipſo magni ſabbati die jam ad veſperam vergente, in Eccleſiam irrumpit, clerum omnem unà cum eo per vim ejecit, & armis baptiſterium circumvallatum eſt: lavacra ipſa ſanguine repleta, & ſacri latices purpureo ſanguinis colore infecti. Verùm, ne in hoc quidem ærumna hæc conſtitit: ſed vi San- B ctum repoſitum eſt: eò milites ingreſſi, quorum nonnulli, ſicuti accepimus, Chriſtianis ſacris initiati non erant, penitiùs omnia perluſtrarunt: & ſanctiſſimus Chriſti ſanguis, in tanto ſcilicet tumultu, in eorum, qui dicti ſunt, militum veſtimenta effuſus. Omnia denique perinde atque in barbara captivitate per audaciam acta ſunt. Plebs ad ſolitudinem ejecta, & populus univerſus extra urbem egit. Eccleſiæ in tanto die feſto vacuæ hominibus fuere, ac plures quàm quadraginta Epiſcopi cum eo communicantes, unà cum populo & clero præter cauſam omnem pulſi ſunt. *Ex Epiſt. Chryſoſtom. ad Innocent. Pap. Niceph. hiſtor. Eccleſ. cap.*19.

Tempore, quo Zeno & Anaſtaſius Imperii adminiſtrationem ſuſceperunt, Acephali orti ſunt: quorum Dux Severus Antiochenus fuit: ob eam cauſam ſic dicti, quòd ſub Epiſcopis & ſacerdotibus non fuerint. Perinde Epiſcopis & ſacerdotibus apud eos defunctis, neque baptiſmus, juxta ſolemnem & receptum Eccleſiæ morem, apud eos adminiſtratus, neque oblatio, aut res aliqua divina facta, miniſteriumve Eccleſiaſticum, ſicut mos eſt, celebratum eſt. Com- C munionem verò illi à plurimo tempore aſſervatam habentes, feriis Paſchalibus in minutiſſimas inciſam partes convenientibus ad ſe hominibus dederunt. *Niceph. lib.* 18. *cap.*45.

D. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus poſt enumerata aliquot, *in lib. de Lapſis*, eorum exempla, qui jam idolorum ſacrificiis maculati, ante exomologeſin criminis factam, indignè communicarent, narrat ſic de quadam fœmina: Cùm quædam (inquit) arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.

Greg. Nazian. in orat. funebri ſororis ſuæ Gorgoniæ. Laborabat ſoror corporis ægritudine, & admodùm malè affecta erat morbo inconſueto, ac planè peregrino. Cùm jam de omnibus aliis deſperaſſet, ad omnium confugit medicum, noctiſque captata ſolitudine, cùm illi morbus parva conceſſiſſet inducias, ante altare cum fide procubuit; ac illum, quem venerabatur, magna voce ac omni invocavit conamine, eique miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit: nam & vetuſta & nova callebat. Tandem impudentia quadam pia D & pulchra impudens facta, illam imitabatur, quæ ob tactum fimbriæ Chriſti è fluxu ſanguinis eſt ſanata. Et quidnam facit? Super altare caput reclinat, ac cum ſimili clamore & lacrymarum profluvio, inſtar illius, quæ olim pedes Chriſti rigavit, opem implorat: & non antea ſe ceſſaturam eſt comminata, quàm ſanitatem fuiſſet adepta. Inde totum corpus pharmaco illo ſuo perunxit. Et ſi alicubi manus ex venerando corporis & ſanguinis Chriſti ſub exemplari quid recondiderat, (proh miraculum!) diſceſſit, cùm confeſtim de corporis ſalute facta eſt certa, tam anima, quàm corpore ac mente relevata, mercedem ſpei ſumens, id quod ſperaverat, animæ ſanitatem, corporis etiam bonam valetudinem nacta.

Concilium Turonenſe IV. quod circa annum Dom. 798. eſt celebratum, ſtatuit, ut omnis presbyter, hoc eſt, animarum paſtor, habeat pyxidem aut vas tanto ſacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur in viaticum recedentibus à ſæculo; ſemperque ſit ſuper altare, obſerata propter mures & nefarios homines, & de ſeptimo in ſeptimum diem ſemper mutetur. Illa à presbytero ſumatur, & alia, quæ eodem die conſecrata eſt, in ejus locum ſubrogetur, ne fortè diutiùs reſervata, mucida, quod abſit, fiat. *cap.*4.

In Concilio quoque Turon. II. decretum eſt, ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis E titulo componatur; nempè, inquit *Baronius*, ut digniorem ſibi vendicaret locum, non inter ſacras imagines ſuper altari poni ſolita, ſed ſub ipſa cruce, quæ in meditullio ipſius altaris poni conſuevit. Ea propter Felix Epiſcopus Bituricenſis, qui huic ſynodo interfuerat, tertioque loco ſubſcripſerat, ipſe perelegans vas aureum ad ſacratiſſimam Euchariſtiam conſervandam turris inſtar fabrèfieri curavit, quod *Venantius Fortunatus* hoc epigrammate celebravit:

Quam benè juncta decent, ſacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant!
Cedant chryſolitis Salomonia vaſa metallis:
Iſta placere magis ars facit atque fides.
Quæ uata, Chriſte, tibi felici munere ſic ſint,
Qualia tunc tribuit de grege paſtor Abel.
Et cujus tu corda vides, pietate coæquas
Par viduæ merito, quæ dedit æra duo.

Conc. Tur. 2. *cap.*3. *apud Baron. tom.*7. *an.*570.

LOCUS.

Vbi publicè ſervabatur olim & hodie ſervatur. F

Conſervabatur autem S. Euchariſtia, vel ſupra Altare, quomodo Mediolani: quod teſtantur verba *S. Ambroſii epiſt.* 85. *de ſacris SS. Gervaſii & Protaſii reliquiis.* Succedant, inquit, victimæ triumphales in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt. Sed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt: Iſti ſub altari, qui illius ſunt redempti paſſione. Vel in ambitu à dextra abſidis, ut Nolæ Campaniæ, ubi Choncula illa, quæ immolanti hoſtias jubilationis Antiſtiti patebat, Secretario hoc *D. Paulini* diſtichon appendebat:

Hic locus eſt veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

Imò notat *Ioan. Stephanus Durandus lib.*1. *cap.* 16. *de rit. Eccleſ.* olim aſſervari ſolitam in vaſe ad formam columbæ efformato, quòd ea eſſet ſymbolum unitatis, quomodo Euchariſtia eſt Sacramentum unionis & charitatis.

Uſus autem obtinuit, ut in Eccleſiis Parochialibus, & aliis, ubi ordinariè cuſtoditur in viaticum Euchariſtia, ſit in eum uſum Tabernaculum ad latus dextrum ſummi altaris. Alibi tamen in ipſo altari reponitur, ut etiam eminùs videri poſſit. Itaque ſervanda Provinciæ conſuetudo. Inter alia G tabernacula quæ Belgium habuit, & etiamnum habet poſt Iconoclaſtarum crudelitates, unum eſt excellens, & ſumptuoſum è marmore in Eccleſia Religioſorum Præmonſtratenſis Ordinis, ſita in Campania Brabantina, vico vulgò Tongerloo: cui inſcripti ſunt hi verſus, quos inter monumenta Brabantiæ, recenſuit, & poſteritati donavit *Franciſcus Suertius Antverpianus.*

Quid ſtas, & lapides pulchros miraris, & artem?
Cerne quod interius ſit Deus omnipotens.
Hoc te non moveat quod pulchra ædicula facta eſt,
Omnis nam pulchri hic conditor occluditur.
Auctor mundanæ hic fabricæ concluditur intus,
Flecte genu ſupplex Numina ſancta colens.
Non haud quis celebri Salomonis conferat ædi:
Non umbras, verum ſed capit ipſa Deum.

Aliud quoque non vulgare viſitur in Eccleſia Abbatiæ S. Gertrudis Lovanii: Fuitque eorum uſus utrobique per Belgium, ut patet in Eccleſiis, quæ hæreticorum furoribus ſuperſunt. Imò & in pleriſque per illos profanatis reliquiæ ſe oſtentant, ceu monumenta avitæ pietatis, & novitiæ improbitatis fructus, & H teſtimonia.

In his autem Tabernaculis non nudè & immediatè reponebatur, uti neque modò reponitur, S. Euchariſtia; ſed in loculo argenteo ut minùs, quem Κιβώϱιον appellant Græci, à κίβ&, quod arcam, & ὤϱιον illuminationem ſignificat. Alioquin Latini à cibo illo cœleſti, qui ibidem ſervatur, deducunt.

Quin etiam in pyxide reponitur frequentiùs, ſaltem illis locis, ubi communicantes infrequentes ſunt; quæ proinde priori loculo, ſive ciborio includitur.

Populo interim ſpectandum & adorandum proponitur hoc Sacramentum in Hierotheca quam Remonſtrantiam appellamus, pellucida utrimque, & tranſparente; atque in ea communiter in altari exponitur, ac Eccleſiæ omnes Parochiales ſibi de ea providere jubentur variarum Synodorum decretis.

Olim turris erat pretioſa & arte laborata, in pleriſque Eccleſiis conſervatrix Euchariſtiæ, quæ in altari ad modum noſtrarum Remonſtrantiarum reponi conſuevit: meminit *Gregor. Turon. de Glor. Martyr. cap.*86.

A PRIVATIM.

Si quando privatim ſervatum fuit hoc Sacramentum, non niſi decenter id factum, & ut tantæ rei majeſtatem decet. Deferebatur, uti etiam hodie, honeſto luculamento, pyxide aut arca, ſumendum commodo tempore. Arcę *Cyprianus* meminit *ſerm. de lapſis.*

In Ara Domeſtica illud adorabat Gorgonia Gregor. Nazian. ſoror.

In Orario pendens habebat S. Satyrus D. Ambroſii frater è collo, atque cum illo naufragus, in mare inſilivit, & enatavit.

In Palla decente S. Birinus Angliæ Epiſcopus conſecratas à ſe hoſtias detulit, collo ſuſpenſa. ☞ *Vide Surium* 5. *Decembris.*

Certè ſive privatim ſive publicè S. Euchariſtia habeatur, omni qua decet reverentia, & cultu haberi debet. Quamvis nonnumquam calamitas temporis non patiatur, ut utrobique omnis cultus veneratioque adhiberi poſſit, præſertim dum in ſupellectilem ſacram inquiritur, ſanctaque Domini ab impiis conculcantur, & polluuntur.

B * EUCHARISTIÆ ADORATIO.

Hoc corpus, ait *B. Chryſoſt. hom.*24. *in epiſt.*1. *ad Corint.* in præſepe reveriti ſunt Magi, & Barbari cum timore & tremore plurimo adoraverunt. Nos imitemur Barbaros, qui cœlorum cives ſumus. Illi eum in præſepi viderunt, tu verò vides eum in altari. Et ſubindè deplorat negligentiam ſui temporis, quòd tæderet Catholicos excurrere ad templum, ut adorarent Chriſtum in Euchariſtia.

Quod Chryſoſtomus in Thracia, hoc requirebat *Cyrillus* in Palæſtina à ſuis ovibus, quando communicaturum ſic inſtruit: Poſt communionem Corporis Chriſti accede, & ad ſanguinem illius pronus, adorationis in modum & venerationis, dicas: Amen. *Catech.* 5. *Myſtagog.*

Ante hos Origenes adhortatus eſt fideles, ut acceſſuri ad S. Communionem, humiliarent ſe, & cum Centurione dicerent, Domine non ſum dignus, &c. Unde patet, veterem illum morem ab Eccleſia primitiva ad nos uſque dimanaſſe. *Origen. hom.*5. *inter mixtas.*

C Ethnici tempore D. Auguſtini, quòd viderent Chriſtianos adorare in locis abditis, & non viderent, quid adorarent, dixerunt, Chriſtianos Deum ſuum cernere in locis ſecretioribus: eaque de re litteras ſcripſit ad B. Auguſtinum Maximus idololatra Madurenſis. *Eſt epiſt.*43. *inter Epiſt. Auguſt.*

Fuere & alii, teſte eo ipſo *Auguſtino lib.*20. *cont. Fauſt. c.*13. qui dicerent, Chriſtianos colere Cererem, & Bacchum: quaſi panem, cujus inventricem faciebant Cererem, & vinum, cujus Deus eſt Bacchus, adorarent; cum illi præter hæc nihil in Sacramento agnoſcerent, aut viderent.

Magnus Baſilius teſtatur, Chriſtianos ſuo tempore in Græcia habuiſſe certam formulam ſalutandi, & adorandi, quando Euchariſtia exhibebatur, *lib. de Spirit. S. cap.*27.

Certè de S. Hieronymo traditur ab *Euſebio* vitæ ejuſdem ſcriptore, quòd in agone mortis ſacrum viaticum ſumpturus, hac oratione illud ſalutaverit, & veneratus fuerit. O ſacrum peregrinationis noſtræ viaticum, quo de hoc nequam ſæculo pervenitur ad cœleſtis Hieruſalem conſortium. O ferculum excellentiſſimum, colendum, adorandum, glorificandum, & amplectendum, omnibus extollendum laudibus, exultandum D cunctis præconiis, &c. *P. Opmer. in hiſt. aſſert. ſacrif. Miſſæ.*

D. Anſelmi hæc fuiſſe dicitur Oratio: Adoro te Chriſte rex Iſrael, lux gentium, Princeps Regum terræ, Domine Sabaoth, virtus omnipotentis Dei.

Tempore D. Bernardi, familiaris hæc ſalutatio erat, Ave ſalus mundi, &c.

D. Guerricus taliter Chriſtum in Sacramento præſentem oravit: Domine, qui nobis ita familiaris es in vita, quòd è nobis tractaris, conſervaris, manducaris, noli nobis alienus eſſe in morte, ſed parce nobis in die malo. *Guer. ſer.*5. *de Purif. B.V.*

Humilis Franciſcus viſo ſanctiſſimo Sacramento, magno fervore exclamabat, Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti filii tui chariſſimi: refert *Petrus Radulphus. Hofſtadius ſer.*65. *de Euchar.*

Alexandri de Ales, qui D. Bonaventuræ extitit magiſter, hęc fuiſſe dicitur oratio: Adoro te Jeſu Chriſte Salvator, qui per mortem tuam redemiſti mundum, &c. *Hofſtad. ibid.*

D. Thomas Aquinas hanc oratiunculam dicitur dictaſſe, quam Eccleſia canit in elevatione ſanctæ Euchariſtiæ: O Sa- E lutaris hoſtia, quæ cœli pandis oſtium; bella premunt hoſtilia, da robur, fer auxilium. Quin tempore Ludovici XII. Gal. Regis injunctum Clero per Galliam, ut ad arcendos hoſtes ille verſiculus ſub elevatione Corporis Dominici in Miſſa caneretur, magnumque præſidium ſenſerunt. *Iodoc. Clichtovæus l.* 1. *Hymnor.*

De Simone Montfortio, bellicoſo non minùs, quàm religioſo Principe, qui bello quod inter Albigenſes & Catholicos an.12. geſtum fuit, legitur, quòd pro more habuerit, viſo SS. Sacramento, pronuntiare Canticum Simeonis: Nunc dimittis ſervum tuum Domine. Itaque dum quodam tempore hoſtis invaſiſſet caſtra, & ipſe ſacrificio intereſſet ſalutaris, monitus, hoſtem adeſſe, noluit exire, niſi priùs Chriſtum in Euchariſtia conſpexiſſet. Eoque viſo, ait: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, &c. addens: Eamus nunc, moriamur cum illo, ſi ita neceſſarium. Ivit, & brevi ſpatio redivit victor, hoſtemque ſuperavit. *Hiſt. Albigenſi c.*163.

Æthiopes olim elevata S. Hoſtia ſtantes adorabant. Clamabat enim Sacerdos: Qui eſtis pœnitentes, humiliate capita veſtra. Hoc eſt corpus ſanctum, honoratum, & vitale Domini no- F ſtri, & Servatoris Jeſu Chriſti, quod datum eſt in remiſſionem peccatorum: & ad vitam æternam conſequendam verè ſumentibus ipſum. Verè hoc eſt, & hic eſt ſanguis Emmanuel Dei noſtri: Amen. *Ex Liturgia ipſorum pridem ex lingua Chald. luce donata.*

Cùm Rodulphus Comes Hasburgicus, antequam Romanorum Imperator deſignatus eſſet, unà cum Regulo Kyburgenſi propinquo ſuo, ad anum fatidicam in ſacra Helvetiæ ſolitudinis cella abditam religionis cauſa proficiſceretur, ann. Dom. 1264. atque in via ſacerdotem cum Jeſu Chriſti ſacroſancto corpore, ut exituro cuipiam ex hac vita in proxima caſa viaticum præberet, iter pedibus ingrendientem inveniſſet, de equo deſcendit, ſacerdotemque impoſitum, unà cum propinquo ſuo (qui & pietate ipſius commotus, æditiuo quoque ardentem cereum & æris campani crotalum præferenti equum ſuum conceſſerat) uſque ad ægrotum tanquam à pedibus, fręniſque miniſter deduxit, indeque ad ædem ſacram, cui ſacerdos præſidebat, reduxit: à quo cum fauſti ominis præfatione ad Rodulphum, ejuſque poſteritatem omnem pertinente dimiſſi, ad ſacram cellam contenderunt, ubi adorato Deo, mox religio- G ſam anum, magnæ propter vitæ ſanctitatem apud omnes venerationis, ſalutant. Quæ veluti plena numine, ad Rodulphum converſa: Prę officio, inquit, & cultu, Deo, ejuſque ſacerdoti, abs te nuper tributo, gratiam tibi, poſteriſque tuis cumulatiſſimè refert omnipotens Deus: & ne te vana ſpe induci à me ſuſpiceris, novennarium temporis numerum, quo tibi meę hujus prædictionis efficax ſignum oſtendetur, diligenter obſervato. Rodulphus igitur novenis & diebus & menſibus elapſis, è ſpe ſua ad novum inde annum, qui erat 1273. quo Romanorum Imperator declaratus fuit, ætate proceſſit: quibus Religionis ſanctæ initiis Romani Imperii amplitudo in Auſtriacam domum profecta, certis pietatis rationibus conſervata hactenùs fuit. *Ioan. Alb. Vidmanſtad. in præfat. ad Epiſt. D. Pauli, Lipſius in monit. Politicis.*

Alphonſus Arragoniæ ac Siciliæ Rex quodam die Panormi ſacratiſſimæ Dominicæ hoſtiæ obviam factus, ſimiliter equo deſiliit, corpuſque Dominicum comitatus, deductus eſt tandem ad domum mulieris è gravi partu laborantis, atque pœnè jam mortuæ. Qua ex re valdè ſolicitus, & anxius, Puſio, qui tum aderat, mandat, ut illicò divæ Serenæ cingulum afferat H Quo allato, & ſumma cum devotione ſuper jacentis corpus impoſito, ſtatim incolumis enixa eſt. *Anton. Panormit. lib.* 3. *cap.*18. *geſt. Alphonſi.*

Iſabella ſereniſſimi Francorum Regis filia, cùm Mantuæ curru per plateas & viam publicam veheretur, vidit ex carpento ipſo ſanctiſſimam Euchariſtiam, quam ſacerdos ad hominem ægrotantem religioſa pompa & celebri piorum comitatu deferebat. Tum Chriſtianiſſima Regina, aut impium, aut certè agreſte & ruſticanum eſſe conſiderans, omnium Dominum à ſe præteriri, ex vehiculo deponi ſe jubet: deinde pectore anhelanti & veloci curſu ad viam properat, qua vitalis eſca tranſitura eſſet: atque ex eo loco, ubi mundi liberator occurrit, gemebunda comitatur. Ubi ad ædes ægroti ventum eſt, pro foribus rediturum Dominum flexis expectavit genibus, egredientemque illum ad templum, unde exierat, piè ac officioſè reduxit. Hæc poſt mortem, quæ brevi conſecuta eſt, pietatis percepit præmia, temporaliſque regni anguſtias cœli immenſitate commutavit. *Ioan. Bonifac. de Inſtit. pueror. lib.*3.